**Tractatus de arthritide / Accesserunt ejusdem Consilia aliquot medicinalia. Emittente Theoph. Boneto.**

**Contributors**

Mayerne, Théodore Turquet de, Sir, 1573-1655
Bonet, Théophile, 1620-1689

**Publication/Creation**

Londini : Impensis Mosis Pitt, ..., 1676.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/ugczkgct

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org







36033/A

F. XIV. 2
17

MAYERNE

~~Turquet~~

20/

907

MAYERNE

132 **TURQUET** (T.) TRACTATUS DE ARTHRITIDE. 16mo, old marbled-paper, wrapper. **£1 0 0** *M. Pitt*: *London* 1675

*** An early treatise on rheumatism, with numerous prescriptions.

F Willughby Br: 14 4.4246

# THEOD. TURQUETI D. DE MAYERNE,

Equitis, Baronis in Aubonne, Conſiliarii & Medici primarii
*REGIS & REGINÆ* MAGNÆ BRITANNIÆ,

# TRACTATUS DE ARTHRITIDE.

*Acceſſerunt*
Ejuſdem Conſilia aliquot Medicinalia.

Emittente *THEOPH. BONETO*, D. M.

*LONDINI*,
Impenſis *Moſis Pitt*, ad Inſigne *Angeli* in Cœmeterio S. *Pauli*, 1676.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

# LECTORI S.

*Multis jampridem & mihi in votis fuit ut quæ Nobiliſſ. & Excellentiſſ.* Theodor. *de* Mayerne, *Medicus verè Regius, fama ſuper æthera notus, ſcriptis conſignavit, maximo vero Reipublicæ Medicæ detrimento hactenus latent, in lucem prodirent: Conſiliorum chiliadem (vel centurias decem) ab illo congeſtam eſſe, digeſtam, & prælo ante obitum deſtinatam à fide dignis mihi narratum: Cum omnes ſpe excidant, nec deſi-*

deriis ſatisfiat, ob hæredum altercantium litem nondum diremptam, à quorum concordia tanti beneficii uſura affulget, ἀποσπασμάτιον hoc Tractatum ſcilicet de Arthritide, cum Conſiliorum decade, publici juris facere ſtatui, iniquum ratus premere, ac privatis uſibus ſervare quæ in plurimorum commodum cedere poſſunt. Eos obteſtatus, apud quos talia deliteſcunt animo benevolo, quod Medicum ingenuum decet, ea proferant omniumque gratiam hoc pacto demereantur.

Hoc

## Hoc Libello continentur

1. T*Ractatus de Arthritide*; Gallicè conſcriptus.
2. *Conſilium in Phthiſi, pro Nobili quodam* Gallicè datum.
3. *Conſilium in Phthiſi, pro Nobili quodam prioris filio*, Gallicè tranſmiſſum.
4. *Conſilium in affectibus hypochondriacis variis, pro Nobili quodam Juriſconſulto*, Gallicè ſcriptum.
5. *Conſilium in eodem affectu, pro Eodem*, Gallicè datum.
6. *Conſilium in eodem affectu, pro Eodem Jur.*
7. *Conſilium in eodem affectu, pro Eodem*, Gallicè ſcriptum.
8. *Conſilium in variis affectibus, Perinæi gangrænam & iſchuriam ſequutis:* Pro Nobili quodam.
9. *Conſilium in ſuppreſſione Urinæ;* Pro Nobili quodam.

10. *Conſilium ad carunculam in meatu urinario*, pro Nobili quodam.

11. *Conſilium in Peſte*, Gallicè conſcriptum.

12. *Aliud Conſilium in Peſte, à Medicis Regiis oblatum* Ludov. XIII. *Galliarum Regi*, Gallicè ſcriptum.

13. *Conſilium in gutturis conſtrictione à fumis melancholicis ex Hypochondriis elatis, pro Medico Clariſſimo, Excellentiſſimi Domini* Bouvard *Archiatri Regis*, Gallicè datum.

14. *Aliud Conſilium in eodem affectu pro eodem Viro, Clariſs. Dom. de* Ardnynes *de S Jques, Noſodochii Pariſienſis Charitatis Medici*, Gallicè ſcriptum.

TRAC-

# TRACTATUS
## DE
# ARTHRITIDE
*Gallicè conſcriptus.*

INTER affectus qui humano corpori infeſti ſunt, illique præmaturum exitium, diſſolutionémque ante fatalem terminum portendunt, Arthritis maximè omnium in commiſerationem trahit, vel eo nomine quod perperam à pleriſque morbis qui curationem reſpuunt annumeratur: hinc ægris à medentibus prognoſtico derelictis, horum cura in mitigationem ſolum & ſedationem doloris incumbit, per topicorum admotionem, ſatagentium prius languentium votis annuere quam officium explere: Medicorum quippe pleriſque famæ con-

ſequendæ potiores partes habent quam ægrorum ſibi commiſſorum ſalutis; atque compeſcendis ejulatibus intentos, de valetudine integra reſtituenda ne cogitatio quidem ſubit.

Sed ſi intima mali natura ad examen revocetur, id proculdubio in leviorum cenſu non eſt; cujus ſcilicet cauſæ lento & teſtudineo gradu progredientes, ſenſim incrementis augeſcunt, effectu non prius ſe prodente, quam tanta partibus inducta ſit prava διάθεσις ab incluſis humoribus, atque per crebros in diæta errores, vitæque intemperantiam, ad faſtigium deducta, ut ægri in confinio & præcipitii margine conſtituti, magnitudinem glomeris revolvendi intuiti, longitudinéque viæ, quam verſis veſtigiis terere neceſſe habent, quo ad priſtinam ſanitatem regreſſus fiat, perterriti ſpem omnem abjiciant, remediique omne genus averſentur: Adde his Arthritidem divitum & Magnatum domicilia quærere, ibíque ſtativa ponere, quorum imperio (ſi ita Diis placet) omnia parent, adeò ut obedientiam

tiam ab iis vix extorqueas & aſſenſum in obſervationem præceptorum ad ſalutem requiſitorum; Non tamen veroſimile eſt Deum naturam novercam creaſſe, atque præſidiorum adeo inopem, ut quiſpiam extet morbus (cujus ὕπαρξις in mera privatione non conſiſtit) qui curationem nequaquam admittat: Si vero ſingularis morbi indoles, ejúſve cauſarum curationi obſtet, enitamur illis opem ferre qui præceptis medicis obtemperare non renuunt, aut ſaltem atrocitatem dolorum mitigare, vel crebrum paroxyſmorum recurſum inhibere, ac tandem præcaveamus ne partes officii ſoliti intermiſſione & otii diuturnitate torpeant, ac uſui, cui deſtinatæ ſunt, ineptæ evadant: Eos enim ſcopos Artem poſſe aſſequi certiſſimum eſt, quovis in ſubjecto, ſi modo ſanitatis limites non omnino prætergreſſum ſit, atque remediorum admovendorum efficaciæ adhuc dum capax ſit.

Quo Arthritidis natura in apertum veniat, floccifacienda eſt humorum in

quatuor

quatuor partes diſtributio, qui quamvis per excreta ex humano corpore diſtincti apparent, altius tamen mens dirigenda eſt, atque perpendendum omnia corporis excrementa ſal in ſeſe admittere, ſpeciatim liquida, qualia ſunt urina & ſudor, quorum tenuioribus partibus in halitum diſcuſſis, hypoſtaſis ſalina ſupereſt: Hinc inferre licet Sal, quamdiu inter metas & proportionem à natura conſtitutas conſiſtit, innoxium eſſe, ubi verò illas tranſgreditur & redundat, ſive id liquidum ſit reſolventi ſuo remixtum, ſive inde exiliat, concretione facta, non ſine damno congeri: Non ſecus ac in macrocoſmo varia occurrunt Salium genera, quorum alia dulcia ſunt, ut ſaccharum: alia acida, qualia vitriolata: alia amara, ut fuliginoſa: alia vere ſalita, qualia ſunt, marinum, gemmeum: alia volatilia, ſicut Armoniacum: alia inſipida, cujuſmodi ſunt quæ in lapides, tophos & calculos coaleſcunt: Similia in microcoſmo gignuntur, Tartarea dicta, quæ juxta proprietates & indolem nativam morbos

bos generant à Tartaro nomenclaturam accipientes; quorum habita ratione materialis cauſæ ac propriæ diſpoſitionis, duplex conſtituendum genus, aliud ab ejus ſolutione originem trahens, alterum ab ejuſdem coagulatione & concretione: quam diſpoſitionem fovet juvatque multum partium diatheſis, in quibus agens nativus calor, juxta gradum propriæ earum eſſentiæ, mixtioniſque eſſentialis, is ea ſalia diſſolvit, ut in hydropici jecore; vel concretionem promovet, ſicut in renibus & veſica, in calculo obnoxiis.

Dimiſſis quatuor primis Elementis, tranſeamus ad eorum ſuccedanea, quæ à Spagyricis (ſublunaria corpora Vulcani ſui ope in principia reſolventibus) ad tria revocantur: Quicquid eſt aqueum & volatile Mercurium vocantibus quicquid pingue & ignis rapax, Sulphur appellantibus: omne terreum ab impura terra mortua ſecretum, Salis nomine donantibus: Hoc Sal naturæ balſamus eſt, quo corpus exutum, proculdubio

cuidubio putrilagine occupatur: Porro, cùm triplicis ſubſtantiæ diſſolutio nullo non tempore fiat, ea principia inſtaurari & reparari poſtulant, quod ex iiſdem nutriamur ex quibus conſtamus: Subſtantiæ verò elementares, quas ad ſuſtentationem noſtri aſſumimus, variæ quoque ſint in compoſitione & temperatura, unumque è dictis principiis præ cæteris exuberet in quovis alimento, neceſſe eſt ut quiſquis cibis utitur in quibus ſal radicale redundat, is in ſe augmentum ejuſdem principii experiatur.

Atque hic mirari liceat Divinam Providentiam, quæ ſeroſum humorem primæ concoctionis excrementum liquidum eſſe voluit, in qua, cùm alimenta in chyli formam liqueſcunt, ſecretio fit trium ſubſtantiarum, ac ſal protinus diſſolvitur ab eo ichoroſo liquore, qui ſanguini admixtus huic vehiculo eſt, hinc ad minimas partes tranſmiſſus, illis eſt vice balſami: reſiduum urinæ lixivium conſtituens, per loca ejus excretioni dicata effluit: Si quid

quid illius inutile ſuperfluit, peracta tertia concoctione, per ſudorem exprimitur, vel per inſenſibilem tranſpirationem exitum quærens, in ſordes craſſas cuti adhærentes faceſſit.

Et hæc contingunt in corporibus bene conſtitutis, quorum facultates vigent, functioneſque inculpatè eduntur: At ſi vitio partium, vel dietæ erroribus natura opprimatur, ſecretiones & excretiones lentè & vitiosè perficiantur, neceſſe eſt ſal illud congeri, quod quantitatem eam ſuperans, per quam inſtar balſami partes à putredine vindicat, tunc vellicat doloreſque excitat, ac partes inflammat, quocunque deferatur & ſubſiſtat, quamtumvis forma ſit liquida & diſſoluta inſtar muriæ, Cæterum, cum naturalis proportio, quæ inter diſſolvens & id quod ſolutum eſt, ejuſmodi ſit, ut ſubtiliſſimus liquor ſubquadruplam tantum ejus partem admittere poſſit, ſi exſuperet in prædicto ſeroſo latice, neceſſe eſt id in viis cæſpitare, in quibus in calculos diverſimodè concreſcit, pro natura prædominantis

ſalis;

ſalis; Sed hic perpendendæ veniunt concretiones variæ quæ contingunt in terræ viſceribus, quin etiam eæ quæ fiunt artis ope: aliam enim formam induit alumen cum concreſcit, aliam nitrum, aliam ſal marinum, aliam item armoniacum: Imo, qui à ſalium coagulationibus ad eas quæ in lapidibus & marcaſitis contingunt tranſitum fecerit, ille quaſdam deprehendet ad Geometriæ leges tam affabre effictas, ut ars à natura ſuperatam ſe eſſe fateatur neceſſe ſit.

Ex dictis inferre licet morbos Tartareos, ſobolem eſſe diſpoſitionis cujuſdam nativæ generantis, vel potius ab alimentis efficaciter ſegregantis, retinentis, &, ut ita dicam, aſſimilantis ſal illud quod Tartarum vocamus; vel potius vitii malæque indolis prædictorum alimentorum inconſulto ingeſtorum, facultatum tonum ſuperantium, functionesque depravantium, quas tandem ad frequentem ejuſmodi cauſarum procatarcticarum concurſum obrui & opprimi neceſſarium eſt: Proinde ejuſmodi

modi morbi, vel Hæreditarii ſunt, à parentibus labe inquinatis in liberos transfuſi, vel Accidentarii, propria culpa nobis ingeniti.

Juxta id philoſophicum dogma, hæc ſtatuatur Arthritidis definitio, quod ſit dolorifica ſolutio continua ligamentorum, partiumque nervoſarum, & ſenſibilium, artus omnes circumſtantium, inducta à qualitate acri & mordicante Tartari cujuſpiam, aut Salis à maſſa ſanguinis ſecreti, ac illud cum proprio vehiculo, ſeu ſeroſo humore tranſmiſſi, utpote nutritioni inutilis & in carnis concretionem inepti, ad partes maxime debiles & ad ſuſceptionem idoneas.

Ea definitio unicam Arthritidis cauſam agnoſcit, futilemq; eſſe illius diviſionem in calidam & frigidam oſtendit; non eo tamen inficias arthriticos dolores mitigari contrariorum admotione, ſed ſciendum ad partem dolore afflictam concurrere in ſubſidium ſpiritus, ſimulq; humorem, quem temperies corporis genuit, cæteris prædominantem: Sic in temperamento pituito-

ſo

ſo, albicant partes dolentes, ac ſine inflammatione tument; In ſanguineis & bilioſis atroces ſunt dolores, qui præceps remedium expoſcunt: At in quavis arthritide nunquam deſinunt dolores (de narcoticis non loquor) quin ſal doloris parens, vel liquore aliquo miti diluatur ( bona inſtituta diæta, ut vini abſtinentia & uſu potionum aqueà vi præditarum, quales in paroxyſmo aſſumunt arthritici) vel diverſione facta irruentis cum impetu humoris, ſal illud, ſi volatile ſit, in habitum diſcutiatur; vel tandem remediis internis, e.g. ſale Saturni aut Tartari, temperetur & mitigetur.

Miſſas facio opiniones eorum qui originem Arthritidis à Jecore aut Cerebro repetunt: mea ſententia prima cauſæ materialis ſcaturigo eſt in ventriculo, quæ poſtmodum inde derivatur & paſſim diffunditur per univerſum venoſum genus, ac mediante cauſa efficiente, habituali reddita iis in partibus (vel hæreditario jure, vel erroribus diætæ) acrimoniam contrahit

ac ſe inſinuat iis, utpote ſumme debilibus, ad excipiendum & patiendum pronis minuſque reſiſtere aptis.

Non autem omnis articulorum dolor Arthritis dicendus eſt, ſed is demum qui genitus ab ejuſmodi cauſis Tartareis, talem effectum parit, ſumma partibus inducta debilitate, dolore deſinente.

Arthritis quædam vaga eſt, Anglis Ninning dicta, erratica, nulli articulo parcens, ſed ſingulos ſucceſſivè invadens, plures ſæpe ſimul occupans, cujus terminus, finita inflammatione, ab Hippoc. quadrageſimo die crircumſcribitur: Oritur ea à generali humorum cataclyſmo, in corporibus plethoricis, ſeroſis humoribus redundantibus, qui cavitatem articulorum ſubeuntes, partium adjacentium tenſione potius quam acrimonia moleſti ſunt. Hujuſmodi vitioſa diatheſis in diſquiſitionem huc non venit, quam ſolvunt frequentes phlebotomiæ, vel inſignes vacuationes per hydragoga, facta revulſione & ſubductione humoris peccantis.

Dimiſſo hoc affectu, tranſeamus ad

truculentum & rebelle malum, Podagræ nomine ſpeciatim indigitatum, quod Hippoc. aliàs ſanabile, aliàs inſanabile pronuntiat, lib. 2. prædict. juxta quaſdam conditiones, *De Podagra hæc dico, quicunque aut ſenes ſunt, aut circa articulos calculos tophaceos concretos habent; aut ærumnoſe vivunt, aut ſiccam habent alvum, hi omnes ſani humana arte fieri non poſſunt, quantùm ego novi: ſanant quidam hos optimè dyſenteriæ ſi ſucceſſerint, ſed etiam aliæ eliquationes valde proſunt, quæ ad internos locos repunt: Qui vero juvenis eſt & circa articulos nondum tophaceos callos habet concretos, & accuratè vivit, & laboris amans eſt, & alvum bonam habet, ad obediendum pro ſtudiorum ratione, hic ſane Medicum intelligentiam habentem nactus, ſanus fieri poterit.* Ego autem, innixus Oraculo Summi Viri, exiſtimo Podagram, etiam in eo cui jure hæreditario imminet, nedum in omni ſubjecto, poſſe impediri & præcaveri, ſcilicet in primordiis ſuis, & priuſquam aliquod ſedimentum tophaceum reliquerit

ac

ac depoſuerit in articulorum loca cava, ac gluten eorum nativum in calculum ejus efficacia induruerit; Illam inquam, cenſeo curationis capacem eſſe: Effatum ſpecie temerarium, veriſſimum tamen, ſi modo Arthritici primo aphoriſmorum parere velint, per quem non tantum Medicum decet officio fungi, ſed & ægrum & aſſidentes, atque cauſæ externæ ad eandem curationem conſpirare debent.

Quoad præcautionem, perfunctoriè eam exequitur Galenus, exiſtimans purgationes & ſanguinis miſſiones vere & autumno celebratas, ſatis eſſe, accedente recta vivendi ratione, non modo ad eam præcavendam, in his qui ab ea hactenus immunes fuere verum etiam in iis quas jam aliquando invaſit: Addamus verò plurimarum aliarum rerum concurſum requiri: Diæta primas ſibi vendicat, atque ex alimentis eligenda euchyma & eupepta, faceſſere juſſis quibuſcumque glutinoſis, tartareis, ſale impraegnatis, & iis quæ facile coagulantur. Eorum ſpecies petantur è li-

bris, qui regulas continent utilium vel noxiorum.

Potus maximum hic momentum obtinet, qui cum diluendo cibo inſerviat, ichoroſi excrementi (de quo actum) collectioni materiam præcipuam præbet, Is ſi Tartareæ ejuſmodi materiæ plurimæ particeps eſt, proculdubio per ſimilitudinem ſubſtantiæ ad ſe allicit eam quam alimenta continent, ac proinde podagræ generationem promovet: Conſtat enim potiones viſcidas, quales ſunt zythum & cereviſia non ritè defæcata, ad coagulationem aptas eſſe, ac facile calculum parere. E contra tenuiores potus, maximè ſimplices, atque quibus minimum ſalinæ materiæ ineſt, minus pronos eſſe in generationem ejuſmodi mali: Hinc rarò aquæ potores, modo ſincera ſit, in podagram proclives ſunt, præſertim divites; qui curioſitatis ergo in fontes, è quibus aquas hauriunt, ſilices fluviatiles terſos & nitidos conjiciunt, hi limo mucilaginoſo, quem ſecum vehit aqua, terræ venas perfluens, obducuntur, removenturque injectis aliis: Vel utuntur aqua

aqua pluvia ciſternis excepta, ſabulo repletis, Hydromel ex aqua cœleſti paratum ritè depuratum, accedente fermentatione donec limpidum fiat, nec quicquam in fundum deponat, inſignis utilitatis eſt, imo medicamenti vim adipiſci poteſt, adjectis herbis cephalicis, neuroticis & arthriticis, quales ſunt Betonica, Iva arthritica & moſchata, Primula veris, & ſimiles: Vinum nimia copia aſſumptum, turbidum, non exactè à fæcibus depuratum, & à ſuo Tartaro liberatum, ſummè noxium eſt, tum quia à continuo illius uſu & immodico diſſipatur calor nativus, tum concoctio in ventriculo impeditur, præſertim carnium, quæ in eo liquore indureſcunt jecur offenditur, ſanguis acris ſimul ac ſeroſus gignitur, cerebrum debile redditur, nervorum robur infringitur, catharri cientur, quorum materia in ſuprema illa regione condenſata, perpendiculariter in ſubditum corpus decumbit, & devaſtat quicquid obvium eſt & maxime debile.

E vinis alia polyphora ſunt, & quan-

quam diluta linguam vellicant, ejuſmodi tartaro vitrolico abundant, acido, pontico, pungente: Alia generoſiora, plurimóque ſpiritu pollent, quorum robur ad admixta aqua citò retunditur: hæc cerebro præſertim infeſta, ut priora artubus: Ars modum excogitavit quo vaporem noxium vino demeret, id tranſcolando per inſtrumentum vitreum duplex, dictum Gallis *Montevin*, eóque ingenio Tartaro ſuperfluo privant, infuſo aliquo liquore præcipitandi vi prædito, quale eſt oleum Tartari (cujus ope vinum ad acorem vergens dulceſcit) lithargyrii ſolutio, vel ſaccharum plumbi ex aceto factum: cryſtalli calcinatæ ſolutio per crebras in aqua urticæ extinctiones & reverberationes cum ſpiritu acido terebinthinæ, ſ. a. ſed durum eſt & tædioſum medicato cibo & potu in paſtibus uti: Qui vino ſibi temperare non poterit, eligat quod minus noxium, & oligophorum eſt, optimè id diluat, neque ultra neceſſitatem ingerat, abſtinendo quoque à copioſiore cibo: Hæc ſanitatis prima ſit lex, non

ſatiari

ſatiari cibis, nec ventriculum gravare, vires ejus ſuperando ſuperflua πλησμονὴ quo calor nativus in objectum ſibi commiſſum ſine moleſtia agat, quod ἡγημονικὸν eſt; neque etiam novus ingerendus cibus priore nondum concocto: hic eſto ſimplex, cujus præcipuum condimentum ſit fames: eam revocando, ſi deficit, mediocri exercitio horis debitis inſtituto, ante, non immediatè à paſtu, cujus ope excitatur calor languidus, nón ſecus ac ſopitus ignis cinerum agitatione reviviſcit.

Sed quandoquidem exercitii mentio injecta, cujus eſſentia eſt in motu, acerſantur huc frictiones tum totius, tum artuum, quæ poros referant, exhauriunt ſuppreſſas ſuperfluitates caloremque ad partes, functionum omnium opificem principem & inſtrumentum facultatum revocant: Porro, cùm nullum alimentum non aliquid impurum in ſe contineat, quod in excrementum faceſſit; in id elaborandum quo ſupervacanea excludantur per vias naturales, quantitate convenienti & opportuno tempore:

quod ſi natura cæſpitet, arte ei ſuccurrendum in id ſedulo incumbendo ut venter ſecedat, nec ventriculus unquam impuritatibus ſcateat, ita ut primæ concoctionis reliquiæ vice fermenti non ſint, quod ſequuturo alimento acorem conciliet: In id conducent remedia quædam familiaria, ut pilulæ maſtichinæ, Macri, aloës variis ſuccis imprægnatæ, ſtomachinis, epaticis, atque alia levia medicamenta, quæ vocamus Eccoprotica. Maximéque refert perpendere an urinæ & potus copia ſibi invicem proportione quadam reſpondeant; alias potiones aliquæ aperientes & diureticæ certis temporibus & medicamenti forma aſſumptæ, atque extra paſtus, eximii uſus erunt, qualis eſt liquor vinoſus, qui ex baccis juniperi exactè maturis, ope aquæ bullientis extunditur, addito pauco fermento, vel ſinapi, ut ſic ejus fermentatio promoveatur; aut tantillo liquore rubeo, qui è ſale Tartari cum ſpiritu vini elicitur ſ. a. Mirè quoque ſudorum provocatio confert, ſive mediante exercitio excitentur, ſive in laco-

nico,

nico, ſemel aut bis in menſe, injectis aliquando: enematis, ventriculo cibis vacuo; Aeris extremæ injuriæ vitentur, frigoris præſertim & humiditatis, ſedulo artus contra earum vim muniendo. Somnus & vigiliæ in mediocritate conſiſtant, exceſſus enim æquè noxius eſt: De Venereis idem eſto judicium, Podagricis ſummè infeſtis, quanquam, experientia teſte, humores ſalſi & nitroſi, quibus Podagrici abundant, ad ejuſmodi conflictum crebrò impellant: de quo quondam ſciſcitatus quidam, quod tempus illi foret opportunum? Scite reſpondit, cum quis ſeipſo debilior fieri cupit. Tandem ſi mediocritas ex uſu ſit in omnibus quæ corpus ſpectant, potiori jure in iis quæ ad animum attinent ejuſque impetus, qui organis corporeis uſus, ea deſtruit & conſumit, niſi à ratione motus ejus regantur.

En ſuccinctam διαγραφὴν præcipuorum Canonum in diæta à Podagricis obſervandorum, vel iis quibus merito ſuſpecta eſſe debet podagra: Ad præcautionem adjungenda quædam remedia

dia, præcipuè vacuantia, quo infortunii plenum illud malum in herba, ut aiunt, & in primordiis averruncetur, ſubtrahanturque illius cauſæ prinſquam in actum erumpant, ac obſideant partes in quas tyrannide ſua & laniena ſævire ſolent.

Vomitus Podagræ prophylacticum præſtantiſſimum eſt, qui poteſt provocari emeticorum ope in plenitudine inſigni, ubi juncturæ admodum laxæ, & morbus quæ foribus eſt, atque ubi Podagricis (qui alias inſultus ſuſtinuit, vel nondum expertus eſt) ſui eſt juris, Medici imperio non parens, ſed genio in valetudinis incommodum plerumq; indulget.

Ex vomitoriorum claſſe, hoc uſu tritiſſimum eſt, ſucceſſu nunquam irrito exhibitum, ſcilicet infuſio croci metallorum, in alkool redacti, optimè loti, macerati in duabus tribuſve unciis vini albi per horas 24, exhibendo ejus colaturam cum ℥j oxymelis ſimpl. mane, vacuo ventriculo, dato pauco juſculo pingui, poſt ſingulos vomendi impetus.

tus. Id genus remedii vim ſuam cum aliqua violentia exſerit: ideo non æquè omni corpori conveniens eſt, ſed illi ſolum quod ritè à natura ad id eſt comparatum: malum verò radicitus tollit, neque unquam fruſtra præbetur, & quamvis comite aliqua moleſtia, innoxium tamen eſt, modo tempeſtivè exhibitum. Vitrioli albi depurati drachma una, in aqua hordei diſſoluta, aut cum conſerva aliqua exhibita, ingeſto deſuper ejuſdem aquæ magno hauſtu, cui multa liquiritia incocta ſit, eluit, ſimulque roborat ventriculum in mollioribus corporibus, ac ubi humor è penitioribus partibus non eſt eliciendus: valet quoque emulſio viginti quinque aut triginta granorum Cataputiæ majoris, additis duabus vel tribus amygdalis, facta cum jure pulli & tranſcolata, aut aqua hordei ſaccharo dulcorata.

Eſt aliud vomitionis genus, utiliſſimum minuſque moleſtum; cujus ratio ut teneatur, in memoriam revocandum quod ſuperius dictum, primitivam Podagræ

dagræ materiam in ventriculo natales habere: Ex Arabum conſilio inebriari ſemel in menſe convenit; quòd non indecens eſt, modo porcorum natura non induatur, & rationis uſus ſuperſtes ſit. Quadrat ejuſmodi præceptum in helluones, qui omnia ſine diſcrimine vorant: Semel ii aut bis in menſe ventriculum ultra morem infarciant, ingeſtis quibuſvis promiſcuè cibis, pinguedine præſertim, ſuperhauſto qui libuerit liquore, ſolito liberaliori: Sic ſaburrati per horam quieti ſtent, demum ſemihoræ ſpatio lentè deambulent, tandem indito in fauces digito ventriculum ad ſubverſionem ſollicitent, & ad excretionem, non modo ingeſtorum ciborum, ſed etiam mucilagium congeſtarum, illiuſque parietibus jampridem affixarum & adhærentium; quæ à paſtu ad provocatum uſque vomitum alimentis ſeſe immiſcuerint, ab aſſumptis liquoribus & potu dilutæ; natura in ſingula quavis concoctione tentante colligere quicquid ventriculi ſpatio continetur, ac illi chyli ſubſtantiam &
formam

formam inducere, deinceps in ſanguinem tranſmutandam: In quibuſdam longius requiritur ſpatium, ut ad ſummum bihorium, prout ventriculus tardè chylificationis munus obit; quoad motum ante vomendi actum requiſitum, ſufficienter oſtendit navigatio, monente Hippocr. ab illo juvari & promoveri ejuſmodi vacuationem.

Præter vomitum, purgatio quoque corporis neceſſaria eſt, præmiſſa prius præparatione per remedia leptomeria prædita & ſpirituoſa quæ ἀκρότητας ejuſmodi Tartareas adoriantur, qualia ſunt ſpiritus acidi Vitrioli, Sulphuris, Salis, qui ex quovis liquore, conſervis, aliiſve propinari poſſunt; Tartari tum cremor, tum ſpiritus, tum ſal, materiam ad excluſionem parant.

Cathartica podagricum humorem reſpicientia verè ſint hydragoga, quorum immenſa eſt ſylva: Syrupus de rhamno adverſus id malum ſpecificum eſt, immediatè ante cibum ſumendus, doſis ſit unciæ duæ aut tres; Cremor Tartari, additis quindecim, duodecim,

aut decem granis extracti ſcammonii, in aqua roſarum præcipitati, ſimul in vino albo diſſolvendo, ex juſculo ſumendo, addita gutta olei è cinnamomo ſtillatitii, evadit remedium utiliſſimum: Cydoniatum laxativum, Lugdunenſe dictum, ejuſdem eſt efficaciæ: valet radix Gialapa ex vino albo ſumpta, drachmæ unius quantitate aut ſcrupulorum quatuor, utile & jucundum eſt remedium: Non minoris emolumenti ſunt Ebuli grana, eorumque oleum per ebullitionem aut expreſſionem elicitum: ſingulariter commendatum Electuarium Caryocoſtinum: Sed omnium remediorum potentiſſimum eſt Mercurius dulcis, cujus ſcrupulus unus feliciſſimo ſucceſſu exhibetur, additis ſtimuli gratia, ne moram trahat in corpore, xx aut xxv granis maſſæ pilul. cochiarum minorum fideliter diſpenſatarum, & correctionis gratia, aliquot auri foliis, guttiſve oleorum deſtillatorum roriſmarini, aniſi aut cinamomi.

Generoſiorum remediorum ne creber eſto uſus, ſed tantum tempeſta-

tum,

tum, vernæ aut autumnalis, initio: Vomitus, ut ante dictum, frequens eſſe debet, & maxime pilularum uſualium nominatarum.

Ad vacuantia pertinet Nitrum, educet id per renes & veſicam ſubſtantiam Tartaream, quæ facile coit in calculum in iis qui in podagram vergunt: aſſumitur declinante Luna ad drachmæ unius vel alterius quantitatem cum aqua hordei vel ſaccharata: Tandem Antimonium fixum diaphoreticum, Crolliano modo præparatum, ſudores promovet, in laconico vel lecto exhibitum, ex ſapa vel roob granorum ſambuci, ſemel aut bis in menſe, pro corporis plenitudine, aut ſi in diæta gravius erratum ſit.

Quoad cætera, *zocoli, broceli, buon capello, pochi quadrechi menco cervello*; Et ut adagio fertur, Cura ut caleant pedes & caput, cætera, brutorum vitam agas, i.e. horis commodis paſtum ineas, vitata plenitudine. Qui prædicta obſervarit, quanquam inſitam ad Podagram propenſionem habeat, vix eam

incurret,

incurret, modo ex ordine & cura adhibita id fiat.

Tempeſtivum jam eſt iis opem ferre qui actu hoc morbo affliguntur; iis autem manifeſto ſolatio poſſe ſuccurri experientia crebra mihi compertum eſt: vel paroxyſmis mora injecta, vel crebro inſultu eorum prohibito, vel acciſa eorum longitudine, dolorumve atrocia mitigata, aut citius reſtituto robore artubus partibuſque à diuturno malo debilibus.

Ad horum tutelam, præter generales eaſdem & neceſſarias indicationes, 1. Vacuanda materia tartarea, initium ducendo ab ipſa origine, ſcil. ventriculo. 2. Eadem præparanda per omne temperantium genus. 3. Materia præparata per imum ventrem excludenda. 4. Maxima ejus pars per vaſa excretioni urinæ dicata exhaurienda. 5. Præterea ſuperfluum per exſiccantia & abſorbentia diſſipandum. 6. Procuranda, per interceptionis viam, conſumptio ejus quod medicamentorum vim eludet. 7. Retundenda ſalis acrimonia in partibus pati-

patientibus. 8. Id in vapores ſolvendum quamdiu ſub forma manet liquida. 9. Si neceſſitas ingruat, idem fixandum & congelandum in ſua ſcaturigine. 10. Dolore acrius urgente, narcoticis is ſopiendus, quod forte paradoxum quibuſdam videbitur. 11. Unum inter & alterum inſultum articuli firmandi, quo minus fluxioni in poſterum opportuni ſint, ſtrenuè roborantibus poſt paroxyſmum uſurpatis. 12. Si liceat, dictæ materiæ & ſalia diſſolvenda, antequam omnino concreſcant & in ipſo, ſi licet, concretionis initio: Ad curationem enim nodoſæ podagræ, lapide Philoſophico opus eſſet, aut Medeæ balneo in quo ſenectam depoſuit Jaſon.

Præire cunctis debent Vomitoria, omnium quippe maximè neceſſaria, quorum enumeratio antea eſt facta; crebrò autem an rarius in uſum ducenda ſint, docebit neceſſitas, aut diætæ ratio, ordinata vel ſuſque deque habita: convenit autem ſolum hic eradicans Emeticum, è croco metallorum aut vitriolo albo, quod nunquam non in

uſum duci debet; cum cætera ad præcautionem mali ſatis ſint in iis qui nunquam id experti; convenit quoque ſæpius à cœna concitatus vomitus, ventriculo cibis prius gravato, cujus laborem nox ſequens emendabit, patientemque inſtaurabit; ſemel ad minimum in menſe id vacuationis genus advocabitur, utpote maximè efficax præſidium, ſaltem vere & autumno, vel neceſſitate poſtulante, cujuſque tempeſtatis initio.

Id verò annotatione dignum ſalia, Alkali dicta, quæ è vegetabilibus per calcinationem extrahuntur, acerrimos & pungentes ſpiritus edulcorare, inter quæ, Sal Tartari potentiſſimum eſt; Idem accidit in corporibus noſtris, quorum ſalia recenſita acuuntur tantum à ſubſtantiis eorum ſpirituoſis, quarum retuſo aculeo, ſalis corpus enerve & innoxium reſtat: neque poteſt ulli noxius eſſe uſus ſalis Tartari cum juſculo aſſumptus, vel conſerva aliqua betonicæ, chamæpithios, cichorii, ſub qualicunque tandem formâ, Podagricis eximiè conducit, non ſolum quatenus

nus temperat, ſed & evehit per urinæ vias Salinam materiam & Tartaream mali cauſam: Eundem prodent effe-ctum ſalia chamæpithios, betonicæ, abſynthii, ebuli, &c. Tutò intus aſſumitur ſaccharum Saturni cum conſervis appropriatis, actuque mitigat, indice guſtu, ſed Veneream cupidinem infringit, in commodum forſan podagricorum. Ejuſmodi remediorum exhibitio ultimis Lunæ diebus fieri debet, præmiſſis levioribus quibuſdam eccoproticis.

Purgantibus, Podagræ maximè convenientibus, ſuperius commemoratis, accedat hoc ſpecificum, Pulvis ſcilicet noſter Arthriticus, qui ſemel ſaltem in menſe circa plenilunium, cum maximè turgent humores, à drachma una ad ſcrupulos quatuor, plus aut minus, pro morbi magnitudine, virium præſertim ægri habita ratione, uſurpari debet: Qui ſunt plethorici & Podagra graviter vexantur, ii quoque illum in uſum ducere poterunt, ſuſpectis præcipuè tempeſtatibus, unò aut altero die ante novi-

lunium, ex pingui caponis juſculo, vino albo, cremore hordei, lactis ſero, cujus hauſtum à ſumpto medicamento ingerere convenit. ℞. Raſuræ cranii humani inſepulti, turbith, hermodactyl. Gialapæ, ſennæ, cremor. Tartari, diacryd. garyophyll. an. ℥j. miſceantur, ac in ſubtilem pulverem terantur: Bairus, Medicus Italus, laudibus extollit Caryocoſtinum, cujus ſimplicia cum maxime caleant, ejuſque operatio paulo vehementior ſit, vix utile puto ſiccis corporibus, ſed tantum ſummè frigidis & humidis; ita ut prædictus pulvis vicem aliorum ſupplere poſſit, excepto Mercurio, cujus vim & energiam cæteris omnibus antepono: Actum ſupra de eum exhibendi modo, vehiculum ei debetur, quod cito operationem perficiat, quales ſunt pilulæ cocciæ minores, ſimiliaque purgantia colocynthidem admittentia, ſcammonium, elleborum nigrum, è quibus, ſi lubet, concinnari poterit extractum, pilulari forma, permiſcendum Mercurio.

Si quos jam invaſit Podagra, liberari ab ea poſtulant, aut ſaltem mitius tractari

tractari, ii poſt purgationes univerſales triplicis corporis regionis pro exigentia & gradu affectionis, præmiſſa diæta ſudorifica, per annum ſubſequentibus pilulis utantur, quibus quanquam ſenſibilis deſit vacuatio, diutino tamen uſu nec interrupto, materia ejuſmodi Tartarea cum urinis evehitur, de qua toties actum: facultate demum omnino ſpecifica, in quam ſemper intentum eſſe decet Medicum, cuicunque demum inſiſtatur methodo, articulos roborant. ℞. pul. chamæpyt ℥ſß. liquir. Hiſpan. ʒij. beton. ʒſß. oſſium meſpilor, ʒiij. omnibus in pulverem ſubtilem tuſis cum ſ. q. terebinth. Venetæ, f. pilul. à ʒj. ad ʒjſß & ʒij. quotidie, tribus horis ante prandium exhibendæ, poſt deambulando, aut leviter ſe exercendo: Illius remedii baſis eſt Chamæpyt. quam nonnulli ſimpliciter terebinthinæ remiſcent, addunt alii betonicam, uſus ut ſupra: Exacto primo anno, utendum hoc remedio ſingulo vere & autumno, ſpatio xxx. aut xl dierum, effectu obſervato, ita ut ſi venter liberè fluat, res naturæ commit-

 tatur,

tatur, remediiſque eo conſpirantibus: ſin pigra ſit, ſollicitetur pilulis uſualibus, identidem aſſumptis fortioribus purgantibus ut dictum; vitata interim vitioſa diæta, cavendoque ne quod una manus adſtruit, altera deſtruat.

Abſorbentia ſiccandi vi polleant, qualitate manifeſta, cui ſi ſpecifica aſſocietur, præſtantior & vegetior orietur effectus: Oſſibus cujuſcunque generis, crudis aut calcinatis, ea vis ineſt, ſed humana, ex iiſdem partibus quæ affliguntur deſumpta, efficacius agunt ratione ſimilitudinis. ℞. dictorum oſſium ℥iij c. c. crudi & calcinati an. part ij. ocul. cancri ſubtil. pulveriſat. part. j. pulv. aut medullæ farinaceæ zarzæparill. part. iv. omnia in pollinem terantur; quibus, ſi lubet, adjici poterunt ſem. aniſi, fœniculi, coriandri, cinnam. ſuccini, moſchi, ſed exigua quantitate ac ſolum ad gratiam guſtus; mane & ſero ejus aſſumatur cochlear integrum, procul à cibo; cum deſtiterit podagricus ab uſu prædictarum pilul. chamæpithios, vel intermedio, quo eas non uſurpabit, tempore.

Cauteria brachiis inuſta, vel tibiis, humorem in articulos fluentem intercipiunt alióque deducunt, maximi ſolatii tum ad præſervationem arthritidis, tum curationem, præſertim ſi ægri legibus diætæ non obtemperent, qua de cauſa ea admittere tenentur.

Succedant jam remedia doloris urgentiam ſpectantia, ad quorum diſquiſitionem, ob ægrorum impatientiam, tormentíque vehementiam Medicorum ſolertia impellitur: In memoriam revocetur, quod prius dictum, materias ſalinas, acidas & mobiles, ſimul permiſtas ſeſe mutuo temperare: Eædemmet podagricum dolorem ſedant: Lixivia è cineribus caulium, ſarmentorum cinerum clavellatorum, Tartari, ſimilibúſve ſalibus Alkali in mitigationem doloris concurrunt, maximè ſi vitriolica admiſceantur, in quibus latet anodinum ſulphur & ſal, potenti diſcutiendi vi præditum: vitriolum album in aqua ſtillatitia caulium diſſolutum: Plumbum nativa dulcedine mordacitate Sal podagricum exuit, exterius admotum

ex prædicta caulium aqua, ut & filicis, cujus ſal in cineribus latens, eximiæ eſt virtutis: Phlegma vitrioli albi, aqua ſpermatis ranarum, ſimiléſve liquores, quibus perſæpe narcotica adduntur, duplici nomine utilia ſunt, qua ſenſum obtundunt (de quibus infra) & ope naturæ ſulphureæ, qua temperant humorem.

Maxima pars eorum qui podagricis auxiliares manus porrigunt, cataplaſmatis ineptè utuntur, unde plus damni, poris cutis occluſis, quam commodi accedit; Reſerandi potius ii & in id elaborandum quo foras eliciatur id lixivium, dum ſub forma eſt liquida: Eum in finem utendum aquis apoplecticis, tantopere ab Authoribus decantatis, conflatis è ſalibus & vitriolis ſupra memoratis, Oxoronia Zwingeri, Aqua ex urina & vitriolo diu ſimul maceratis, digeſtis per putrefactionem, egregiam opem fert: Eximia eſt iis in doloribus camphora, aperit enim, penetrat, attenuat, digerit, halitúmque inſenſilem juvat, mediante ſumma acrimonia: Ex

aquis

aquis ſupra-dictis utiliter admovetur, etiam in intenſiſſimis doloribus: Vidi qui diſſolvant opium, digerant, poſtmodum diſtillent, utiliterque ejuſmodi mixturam dolentibus articulis admoveant, etiam maximè vigente dolore: ejus efficaciam augebit additio camphoræ: In id ſatis ſunt hæc præſidia, quanquam & alia non minus generoſa afferri queant & præſcribi. Somnus vacuationem omnem cohibet, excepto ſudore; atque ubi fluxio vehemens eſt, doloreſque intenſi, nihil gratius & utilius ad eum accerſendum, nec quicquam æquiparandum venit Laudano, cujus duo, tria, quatuórve grana poſſunt præberi hora ſomni, imo pluribus ex ſerie noctibus. Per quietem humores concoquuntur, natura vires reſumit, & inſurgit hoſtem ſuperatura: Alia proſtant ſomnifera laudani ſuccedanea, ſed iſtud cæteris palmam præripit.

Maxima Medicorum pars contra narcoticorum & ſtupefacientium uſum inſurgit, eáque impugnat; quod non deſint alia præſidia tutiora quorum ope doloris

doloris vehementia demulceri poſſit; ac ſatius ſit, ex ipſorum mente, ejulatus non compeſcere quam ægrum enervem reddere per ejuſmodi medicamenta: Lepidum ſane & plauſu excipiendum excuſationis genus, quaſi verò per ea tam inſignis imbecillitas partibus & ægro inuri queat: Revera intus aſſumpta narcotica, ſi dextre in uſum non flectantur, damni non ſunt expertia, quippe quæ intempeſtivé data in cerebro congelationem quandam, ut ita dicam, pariunt, ſpirituumque quandam ἀκινησίαν, non mediante refrigeratione, ſed fixatione, quæ ſulphuris, luxuriantis in iis remediis, ſoboles eſt, unde inducta immobilitate ſpirituum animalium, illorum influxus prohibetur, hinc mors per ſuffocationem ſequitur: ſed ſi viget atrox dolor, ab ejuſmodi remediorum admotione nihil quicquam ſimile pertimeſcendum, cum certum ſit dolorem, vel una die urgentem, majorem nervis inferre labem & debilitatem, quam topicorum admotionem ſex dierum ſpatio continuatam:

Sup-

Supponamus verò ſtuporem inde aliquem ſuperſtitem eſſe in partibus, mille præſtò ſunt remedia eam labem eluere valentia, balnea, fotus, emplaſtra, laconica & alia quæ brevi tempore id præſtant: adde his narcoticum fore innoxium ſuæ antidoto annexum: Omnes prope autores in vehementia doloris podagrici hyoſcyamum in uſum ducunt: ad opium quidam aſcendunt; ſi ſplen multum induruit cicutam illi innoxiè apponimus, quod & oculis utiliter ſuperimponitur, quanquam cerebro proximis: Ego autem non vereor, comprobante felici eventu, in uſum ducere utramque illam plantam cataplaſmatis forma, addita caſſia, camphora, croco, ſpermate ceti, atque axungia humana, quæ præſtantiſſimum eſt anodinum eo in affectu.

Sedato dolore ad roborantia accedendum, inter quæ vinum optimum, quod ut extus admotum partibus nervoſis utile eſt, ſic intus aſſumptum maxime infeſtum eſt omnibuſque cerebri propaginibus.

Qui

Qui alias inſultus arthriticos ſuſtinuere, admittere neceſſe habent remedium quod ſiccandi vi roboret partes nervoſas, quarum tonus & temperamentum nativum per ſimilia conſervari poſtulat: Paulus Aëgineta, antiquus & doctus Medicus, podagricorum articulos linimento ex ſale & oleo perfricat: conducit id remedium mitigatis doloribus, ſed præſtantiſſimum eſt in iis præcavendis: Paretur, oleum ex violis luteis ( cheirinum vocant ) ex iteratis florum infuſionibus, quod optimum evadet additione florum verbaſci.

℞. prædicti olei ℔. ſalis marini decrepitati, diſſoluti & in alkool redacti ſuper porphyrite, ſaponis albi Veneti, an. ℥iv. m. fiat inſtar nutriti. Eo veſperi omnes articuli inungendi, præſertim pedum & manuum, præ cæteris partibus maxime doloribus obnoxii: poſt inducantur tibialia & cheirothecæ laneæ in introitu lecti. Quondam mihi fuit notus Medicus doctus, qui cum Podagra per annos triginta fuiſſet infeſtatus, (fuit

( fuit is Dom. Quartier Ducis Bullionæi Medicus ) demumque totidem annis ſupervixiſſet, reliquo vitæ tempore, ( prætergreſſus enim eſt annum centeſimum ) beneficio ſupra ſcripti linimenti, decem annis ante obitum, incedens viſus eſt æquè firmo talo,acſi nunquam eo affectu tentatus fuiſſet : Plurimis forſan adſtrictior hæc diætæ & medendi methodus tædioſa cenſebitur, quia ſic redit labor actus in orbem. Agricolis, quibus vita ſobria, exercitiúmque indefeſſum, talia præſcribere ſuperfluum eſt : Divites, qui laboris tædio ſervorum miniſterio omnia exequuntur, quantum velint debacchentur, nihil moror.

Deſinentibus paroxyſmis, familiaris eſt uſus Emplaſtri diachalciteos, quod revera innoxium eſt, ſed exigui ſolatii : Proſtant meliora, qualia ſunt Empl. de hermodactylis, de minio magiſtrale, vocant Emplaſtrum Sandicis, Gummi Caranna ſpiritu vini diſſolutum, ut & Tacamahaca, ſingularis ſunt efficaciæ; Empl. betonicæ, maſtiche, ſtorax, ac

Benzoin,

benzoin, liquefacta cum prædicto ſpiritu, egregiè conferunt.. Balſamus Ebuli, paratus cum lumbricis ; catellis lactantibus, addito ſale, præſtantiſſimus eſt. Balnea & fotus ex herbis neuroticis, lixivio ex aqua chalybeata confecto, incoctis, addito vino rubro, ſale, ſulphure & alumine, mirè corroborant ; Lac aluminis ſingulariter valet, quod ſic paratur.

℞. aqu. vitæ ℔j. album ovorum rec. n. vj. diu unà conquaſſentur cum 3. aut 4. grandioribus aluminis fruſtulis in olla terrea vitreata ; ea ſatis erit agitaſſe & commoviſſe, ſi prius in dicto vini ſpiritu facta fuerit infuſio herbarum nervalium ſalviæ, majoranæ, roriſmarini, inde remedio virium acceſſio fiet : hoc verò calefacto, cum ovorum albumina indureſcant & craſſeſcant, ac in grumos abeant, ſatius erit ſeorſim excalefacere vinum rubrum optimum ( de alicanto ſi proſtet ) demum in vas igne exemptum, duplam aut triplam quantitatem alterius lactis aluminis injicere, atque in eam miſcellam immergere lin-

tea

tea duplicata, ac calidè admovere; ſed quorſum plura, cum prædicta ſatis efficacia ſint.

Ridiculum ſe præbet qui tophorum diſſolutionem pollicetur, nam ſi induruerint, tale quid tentare laterem lavare eſt: Sed materia exiſtente adhuc viſcida, credo rem non omnino eſſe impoſſibilem, ſi modo nanciſcamur remedium quod illam ſubeat, ac ſimilitudine ſubſtantiæ cum illa conveniat: Tale eſt ſal armoniacum, tum naturale, tum artificiale, imo compoſitum ex fuligine & urina animalium. Sed ſal urinæ volatile, crebris depuratum ſublimationibus, viribus antecellit.

Partium poris ſufficienter reſeratis, vel balnei ope, vel Laconici, aut ad lixivii vaporem, parati cum fæcibus aut ſcoriis flavis reguli antimonii (cujus Sulphur potentiſſimè attrahit, nec minori diſſolvendi vi pollet) Accipiatur ſal urinæ, miſceatur cum optimo ſpiritu vini; ex hac mixtura fiat fotus: Oleum arſenici digerit, & ad ſuperficiem allicit, nec remedium extat hoc

in

in opere æquiparandum; ſi tantillum ejus miſceatur cum butyro Maiali, vel alia pinguedine, leniterque inungantur artus: Diſſipantur aliquando ejuſmodi tumores exſudante materia quadam viſcida, pinguedinem referente, & ſæpe exoriuntur puſtulæ aquæ guttas fundentes non ſecus ac ova igni expoſita.

Cardo verò, circa hujus remedii uſum, in hoc vertitur, ne feſtinatio quæratur, ejus enim effectus perſæpe duodecimo demum, vel decimo quinto die ſe exſerit. Quidam, ut Dariotus, apertionem partium circa articulos per ruptoria moliuntur, & ante factam ullam concretionem utiliter veſicatoria admovent. Egò autem in ea ſum ſententia priorum conſilium ſupervacaneum eſſe, atque eum qui mali cauſam antecedentem per remedia intus aſſumpta impugnarit, externis facile poſſe carere, vel ſaltem à dolorificis hiſce abſtinere, cum iniquum ſit afflicto afflictionem addere.

Priuſquam colophonem imponam, de ſanguinis miſſione aliquid adjiciendum,

dum, quæ in corporibus plethoricis in iis qui lautè & opiparè vivunt, mero indulgent, præcautionis gratia nunquam non fieri debet: vere brachii venæ tundantur & autumno: In melancholicis reſerentur Hæmorrhoides; mulieribusq́ cieantur menſes, ſi ſubſtiterint: Galenus intrepidè aſſerit præſentaneum eſſe auxilium in maximis doloribus, præcipitibus fluxionibus & ingentibus inflammationibus: his tribus ſæpe ſimul concurrentibus primo podagræ inſultu, quis eam ſæpius inſtituendam negaverit, juxta neceſſitatis urgentiam? Hujus remedii cum tam eximia ſit utilitas, quodnam quæſo majori certitudine, minúſque ancipiti ſpe poterit decerni? Nunquid in urgentia dolorum purgationi anteponenda? Quanquam Bayrus aſſerat ſeipſum podagra ad extremum afflictum, ab aſſumpto Elect. ſuo Caryocoſtino in doloris urgentia, ſemper libertatem pedum reſtitutam fuiſſe, ut ſolus, nemine fulciente, ſellam perforatam adire valuerit; piè illi fidem adhibeamus, Me-

dico quippe docto, ſeni & experientiſſimo: Conſtat tamen vel non purgandos podagricos, urgentibus doloribus, vel id ἀδεστέρως faciendum, aliter commotâ Camarinâ malum ingraveſcere certum eſt: præcavebitur id damnum, ſi ea ipſa die qua aſſumptum purgans, exhibeatur noctu laudani doſis, ut ſupra dictum: Eo pacto orgaſmus humorum ſiſtitur, figuntur ſpiritus, tandem imminuta cauſa, mitigatur malum, reſtituitúrque natura priſtinæ libertati.

Poſitis his regulis, non difficilis erit uſurpatio plurium particularium remediorum, præter ſpecifica dicta; ſed multitudo deterret ægros, confuſionémque invehit tum in Medici animum, tum eorum qui ægro aſſident: Et quanquam ſylvam medicamentorum huc adduxerim, non ea tamen mihi mens eſt, ut omnia in uſum duci debere velim in eodem ſubjecto: Medici eſt ea eligere quæ unicuique ægrotanti commoda credit: Medicinaria conſilia artis magiſtros directores habere debent, quo rectus uſus ineatur & opportunus, hincque utilitas

utilitas emergat, futura alias gladius in manu furioſi, ſi quis verò artis ignarus iis intendit uti, deceptum ſe à ſiniſtro uſu agnoſcat, diſcat idem totam curationis ſummam in electione opportuni temporis ſitam eſſe, quod non omnibus obvium eſt, ſed iis tantum qui in artis operibus conſenuere, & canos acquiſiere; hæc non annus nedum dies una docet. Antequam finem faciam, illud moneo, hoc conſilium ab amico extortum, atque in ejus gratiam & reverentiam à me conſcriptum fuiſſe, ejus curioſitati potius quam neceſſitati ſatisfacturo.

*Artem experientia fecit,*
*Exemplo monſtrante viam.*

# CONSILIUM I.
# IN
# PHTHISI.
## Pro Viro Nobiliſſimo
*Gallicè conſcriptum.*

DOMINE, Ob monitum, charitatis & pietatis tuæ indicium, ex capite ultimo libr. Eccleſ. deſumptum gratias ago: Quadrat id in me ad ſenium properantem, cujus incommoda jam urgent, regionis incolam tumultibus agitatam, à tranquillo meo Dominio Aubonne diſſitam: In ea enim è re fuit aſylum quærere, mundo valedicturum, animamque illic placidè in Salvatoris manus depoſiturum: Sed Dei, penes quem imperium eſt, aliud fortè eſt decre-

decretum, cui reluctari nefarium & impium eſt: Neſcio felicitáſne ea me maneat, quam ſperare vetat locorum diſtantia, itineríſque moleſtiæ, quæ ab ejus longitudine imminent; ut tua præſentia iterum frui liceat: Si id Deus conceſſerit, lucrum mihi erit; aliàs, grata tibi ſit benevoli animi propenſio & deſiderium viciniæ & præſentiæ tuæ; paratus omni officiorum genere tuam benevolentiam demereri. Fatali autem neceſſitate à te ſejunctus, cum propius opem ferre nequeam, pro honore quo me afficis, conſilium à me quærens per quod valetudini reſtitui queas (qua utinam meliore frui tibi liceat) nec faveat tempeſtas præſens, remediorum uſui & efficaciæ moras injiciens, illa tamen, qualiſcunque ſit & inidonea, fruaris, hócque conſilium, quo animo offertur, benevolo ſcilicet, accipe.

Non dubito Dominum D. Gras conſtitutionis univerſalis tuæ, ac intemperiei inæqualis omnium partium, naturalium, vitalium & animalium, examen ad amuſſim inſtituiſſe, ratáſque ha-

beo & conſtitutas Viri Docti & in arte verſatiſſimi conjecturas: Te verò cum ab incunabilis noverim, imo Majores tuos prior, quorum ultima ſors mihi perſpecta viderim; Rem altius repetendam exiſtimo: Illuſtriſſimi Parentis tui, feliciſſimæ memoriæ, Tuſſis continua indeſinenſque in pulmones fluxio, ante tempus vitæ filum abruperunt: Te verò, quod attinet, ſi rectè memini, illi pene per omnia ſimilis es, & quoad animum, & quoad corpus, languidis ſemper fuiſti pulmonibus, macilentus, aliáſque (oculatus teſtis ſum) ſanguinem ſæpe exſpuitione rejeciſti, quanquam exigua quantitate: Hoc ſuppono, ut conſtet partem naturâ debilem facilè omnibus injuriis patere, pulmones verò plus cæteris, tum ratione propriæ texturæ, raræ & ſpongioſæ, tum ſitûs cauſa, ob quem cauſas morbificas facile ſuſcipiunt, tam à ſupernis decumbentes partibus, quam ab inferioribus tranſmiſſas, maximo eorum detrimento: Non abnuo, malè officio fungente ventriculo, meſenterio obſtructionibus

nibus infactro, ac jecore acrem & ſeroſum ſanguinem gignente, cerebrum & pulmones, à prava alimenti conditione malè affici; quorum excrementa, ſive tranſmiſſa, ſive congeſta, admodum liquida ſunt, quamdiu fluida ſunt, quod familiare eſt omni Tartaro diſſoluto; Sed ſedem nacta in cannis Pulmonum, in gluten & mucilaginem concreſcunt, dyſpnœam parientia diſpoſitionemque aſthmaticam tibi moleſtam: hoc verò damni ab iis parti imminet, marcor ſcilicet & corruptio totius: nullo quamvis præſente abſceſſu, vomica aut ulcere, iidem tamen imminent effectus neque minus pernitioſi.

Quo tibi ſolatium accedat, neceſſe eſt proba diæta emendari vitium cauſarum antecedentium, in llarum origine; ſenſim partium vitio, in quibus prima & ſecunda peragitur concoctio, ad meliorem ſtatum traducto: Secundo, Cerebri diluvia cohibenda, id roborando, ſiccando, alióque derivando quod perpendiculariter ab eo in pulmones influit: Tertio, horum bal-

ſamus reparandus, à putredine illi vindicandi ope medicamentorum vi balſamica donatorum: Si per horum decurſum interim anacatharſis moleſta & difficilis ſit, ejus quoque ratio habenda eſt: Tandem analepſis debetur & paulatina refectio partibus ad marcorem vergentibus.

1. Quo id conſequaris, conſilium à Medicis datum, ad unguem quoad diætam exequaris, quam ſi minutius vellem perſequi, res pene in volumen excreſceret.

2. Ratione cerebri, emiſſaria illi para, præter naturalia: Fonticulos in brachiis revera non improbo, ſed æquiparanda non ſunt iis quæ in ſcapulis parantur, è regione anguli ſuperiors omoplatarum, ad æqualem ſpinæ diſtantiam; maciem fortè objicies; Ego verò etiam propemodum extenuatis non parco, efficacioréſque deprehendo illis qui in collo inter primam & ſecundam vertebram excitantur: Ne prætermittatur id remedii genus, ad id ſufficit tenax emplaſtrum, piſâ impoſitâ ad quinarium

aut

aut ſenarium numerum arctè comprimens: Probo emplaſtrum pro Suturis, è mediocriter calefacientibus conſtans; leniter adſtringens, potenter roborans, ad ſuſpendendam defluxionem & confirmationem partis: Ejus vicem ſupplent cucuphæ & calanticæ, quas conficio ex betonica ſicca, roremarino, roſis rubris, piſtaciorum corticibus viridibus, ſuccino flavo ubertim addito, ſemine nigellæ Romanæ, paucíſque garyophyllis: Caput neque calidius teneatur, néque frigidius, ſed eo modo cooperiatur ut frigus nequaquam pervadat: Ægrè tibi Celſi conſilium obtrudam, cujus ipſa hæc ſunt verba, *Capiti nihil æquè ita prodeſt atque aqua frigida; itaque is cui infirmum hoc eſt per æſtatem, id bene largo canali quotidiè debet aliquandiu ſubjicere*,&c. Pileus tuus charta emporetica, ſtuppis aut lino pexo muniatur; conducet ſi excipiat fumum ex pulvere aliquo cephalico, cujus compoſitionem ingrediatur ſuccinum flavum larga quantitate: Neſcio an unquam Tabacci fumo uſus fueris. Conficere potes pulverem

verem ex tuſſilagine, prædictis phiſtico-rum corticibus, roremarino, ſuccino fla-vo & Tabacci parte duodecimâ: Cui, ſi pulmo viſcida phlegmate ſcateat, urge-atque aſthma, tantillum auripigmenti, (utilis iis in morbis, inquit Dioſcorides) mirum in modum proficuum erit: Non te latet quomodo in uſum ducatur, ſci-licet mediante tubo terreo; mane & veſ-peri uſurpare licebit, ſive tranſmiſſo fu-mo per nares, ſive ſimpliciter per os ex-ſufflando, prout tibi proficuum fuerit.

3. Gratia pulmonis, ſpeciatim pro-derit mulſa diluta, non nimis vinoſa, ſed fermentata, compoſita ex agrimo-nia, betonica, utraque veronica, & duabus pulmonariis, tuſſilagine & plu-ribus jujubis. Id potionis genus ritè confectum, guſtui ingratum non erit: Vinum tibi noxium eſt, ſed dubito num in deſuetudinem venire poteris: ſi ta-men licet, abſtine. Syrupus è teſtudini-bus, limacibus, pulmonibus animalium, ranis & cancris, omnibus in aqua ſca-bioſæ & tuſſilaginis incoctis, addito tandem ſaccharo candido, utilis erit:

Lac

Lac ſulphuris præcipuus eſt balſamus, quod ex ovo cum granis aliquod benzoes & ſacchari aſſumi poteſt, aut in tabellas redigi cum ſaccharo & pulpa radicum biſmalvæ: Id genus remedii, diu uſurpari poſtulat, intercalaribus nihilominus aliquot diebus, ne natura nimium aſſueſcat, quæ tandem id non ſecus ac omne aliud; faſtidiret, Balſamus Peruvianus, niger aut albus, non adulterinus (ſi nanciſci liceat) ex oxymelite ad quatuor aut quinque guttas ſingulis vicibus aſſumptus, egregiè quoque confert, ut & rubinus Sulphuris ritè præparatus cum oleo albo terebinthinæ, demum cum ſpiritu vini, ſ. a. Sed ut ex arte procedat hæc operatio, perito artifici committenda eſt: Suffitus prædictus expectorationem promovebit: Si viſcida ſit admodum pituita, parandum cura oxymel ex decocto pectorali rectè clarificato, ſaccharo canthio & melle, acidulo reddito cum oleo ſulphuris: Hoc urgente neceſſitate lambi debet ex baculo liquiritiæ in extremitate contuſo.

Re-

Renutritionem quod ſpectat ; perge in uſu juſculi galli cum China & hordeo mundato, præter ſyrupum de teſtudinibus memoratum, ſed præſertim lac aſininum valet cum Saccharo roſaceo, quod hyeme æquè ac æſtate uſurpandum : Denique aëris mutationem tibi ſuadeo : Situs domus tuæ inſalubris tibi omnino eſt : Vere proximo Delphinatum migra , ac Nobiliſſ. fratrum domicilium quære , imo Aurantium uſque perge , Lunellum , Biterras , Monſpelium , per menſes aliquot , imo plures iis in locis commoraturus. Plura jam dicere non vacat, præter unum hoc, ſi fortè contigerit aliquem eorum, qui ad te attinent, vereri ne ex conſortio pulmo aliquid labis contrahat, ad unguem eum meum ſequi debere conſilium, quod illi proficuum proculdubio erit ad prophylaxim ; Omen avertat Deus, *&c.*

*Datum anno* 1645. *Londini.*

II. CON-

# II. CONSILIUM

## Pro Illuſtriſſ. & Nobil. ejuſdem Filio in Phthiſim propenſo.

### *Gallicè ſcriptum.*

DOmine, fruſtra ſunt apologiæ extra rem allatæ: nullius erga me injuriæ es reus; Amicis meis, Tibíque omnium maximè, id ratum eſſe debet, me alieno omnino eſſe animo ab eorum moribus, in quibus ritus & ceremonia cum familiares ſint, ſincerus animus vix deprehenditur, ſi quando quem in intimum amicitiæ ſinum admiſi, illíque me addixi (eam jampridem toti familiæ veſtri devovi) omiſſas officiorum occaſiones nunquam impropero, nihílque ſiniſtrè interpretor, de conſtantia ſecurus; ratus aut occupationibus diſtrahi amicos, vel ſubeſſe cauſas graves, quarum cauſa officium literarium intermittant; operam verò meam ſi quando utilis eſſe poteſt, nunquam

quam illis denegaturus ſum avidè arrepta, ubi ſe obtulerit, bene merendi occaſione, maximè, qua parte tantum valeo, Arte mea.

Jampridem metu perculſus fui ne affectus, tibi jampridem imminens, tandem in actum erumperet, quandoquidem Illuſtriſſimorum, Parentis & Avi, multis nominibus mihi colendorum, natura mihi perſpecta fuit, quorum pulmonis vitioſam conſtitutionem & labem ægerrimè tuli, quippe quæ eorum fatum acceleravit, ac hæreditatis modo in te tranſiit ſimul cum dotibus ac virtutibus maximè inſignibus. Si aliquid à te commiſſum quod infortunium id præceps advexerit, latet id me, ac, è re fuiſſet, ea de re certiorem me facere, accurata enim inſtructio neceſſaria eſt, ut ex dato conſilio fructus percipiatur. Speciatim optâſſem edoceri qualiſnam tumor pectus obſederit, & quænam fuerint remedia acria, quibus uſum te fuiſſe ſcribunt Medici tui, Mercurialia ſcilicet, necne: Qualitatem item & quantitatem materiæ quam anaca-

anacatharſi excluſiſti, ſcire utile fuit purulentáne fuerit & fœtida vel alia, hæc enim quæſita præcipui ſunt momenti ad Pulmonis tui curam, qui baſis eſt & origo tuarum ærumnarum, phthiſis digiti tantum latitudine prope abeſt, ſiniſtráque ominatur, niſi omnem lapidem moveas, quo te ab his inſidiis maturè extrices, quibus te jam irretitum ægro animo percipio, Vomicas in Pulmone diſrumpi ſæpe à me animadverſum, quaſdam felici eventu, alias funeſto: ab iis Deus immunem te præſtet. Ulcus pulmonis, indeſinenti motu agitati, maximis vaſis referti, perpetuo ſupernè & infernè humores excipientis, curam ægerrimè admittit; Conatus tamen omnis adhibendus, Deóque relinquendus ſucceſſus, ab ejúſque voluntate felix eventus expectandus: Jam curæ virorum in arte excercitatorum commiſſus fuiſti, quod teſtatum facit eorum relatio; atque ex regulis noſtris hæc præcipua eſt: *Si omnia ſecundum rationem facienti ſtatim non ſuccedant (intentionibus & indicationibus curativis iiſdem manen-*

*manentibus ) remediis inſiſtendum eſſe nulla immutatione facta, niſi quippiam accedat quod ad eam omnino impellat.*

Satisfacturus tamen deſiderio quo meam curam expetis, rem adorſus ulterius progrediar, conſilium meum judicio & experientiæ (tam longo intervallo à te diſſitus ) doctorum quibus es ὑποχείριος, ſubjiciens. Ac primò quidem author ſum quamprimum tempeſtas temperatior fuerit, mutationis aëris periculum facias, alium & propitiorem experturus ſine procraſtinatione, lectica aut aliter vectus, ne commotio tibi noceat; itineri orto demum Sole te committens, ante ejus occaſum diverſorio quæſito. Adi Volcas, Aurantium, Monſpelium, Biterras, Lunellum; Paucis, ſpira aërem ſiccum, cujus calorem facile tibi erit temperare domi, pro commoditatibus quas regio concedit: Galenus Medicorum Magiſter, Phthiſicos Tabias mittebat, non quòd eorum cura ſe liberaret, ſed ad deſiccationem ulceris & fluxionis, inſpirato arëe puro, vi ſicandi prædito, ac balſamica

vi

vi plantarum inibi naſcentium imbuto. Ante aliquot annos illuc Nobilem noſtratem, nomine Cotton, tranſmiſi Phthiſicum confirmatum, pus cum ſanguine ſpuentem; ſceleton membrana Pergamena veſtitum, macie referentem, qui à reditu, planè reſtitutus, nuptias contraxit, ſaniſſimus in familia degens, plurimorum liberorum Pater: Vidi (quo tibi aëris efficaciam Pulmonis morbis innoteſcat) Nobilem, qui ab accepto profundo in thorace vulnere, bis ſanatus eſt fiſtula ſuccedente apertioni in oppoſita parte factæ, quæ neceſſariò intra coſtas inſtituenda fuit: In Hiſpaniam is migravit, ubi poſt quinque annorum moram occluſa fuit fiſtula; patriæ ubi redditus, climati frigido & humido, hæc ſponte recluſa eſt: Sanationémque iterum recepit in Hiſpania per totidem annorum ſpatium. Hinc tibi clarum eſſe debet aërem omnia Pulmonis bronchia pervadentem, recta cor impetentem, efficacius quovis alio remedio, qualitatibus nativis vel adſcititiis vim ſuam exerere.

Secundum caput potum ordinarium ſpectat: Si à vino omnino temperare licet, operæ pretium feceris, perinde enim eſt, ſive parum ſive multum ſumpſeris, caput ſemper affectat & afficit: Audio cereviſiam optimam Genevæ confici: Si tibi tenuis ſuppeteret limpida; aut decoctio ex hordeo ad ſummum fermentato ſine lupulo, ea tibi admodum accommodata eſſet: quam præterea liceret tibi medicamentoſam reddere additione radicis Chinæ, aut radicum majorum cannarum Galliæ Narbonenſis, herbarum traumaticarum, pectoralium inter quas eminent Veronica mas, bugula & ſanicula: Si natale ſolum deſeris, ædéſque proprias, parum ſalubres, præſcribi poterit hydromel dilutum aut Paſſulatum tenue, ſed ritè fermentatum, imbutum vi prædictorum ſimplicium, & aliorum, pimpinellæ, conſolidæ majoris, æluropi, plantaginis, verbaſci, pulmonariæ latifoliæ (quæ muſcus eſt cinerei coloris, annoſis quercubus innaſcens:) Ejuſmodi potus familiores redditi & ordinarii in morbis chronicis & perti-

nacibus, aſſiduitate agendi mira præſtant, alimenti ſimul & medicamenti vim nacta: Arcæus, probatus Author Hiſpanus, in ulceribus Pulmonum Gaiacum maximè probat, atque ex ejus uſu non levem ſucceſſum expertus ſum; neque is in corporibus macilentis pertimeſcendus, ejus enim calor & acrimonia, gradatim procedendo, temperari poſſunt, aquæ doſi aucta, imo id aquæ hordei incoqui poteſt: Aliæ radices, ut Chinæ & Cannæ innoxiæ ſunt, ac ſine calore ſufficienter ſiccant: Cætera, ne diſcede a tuorum Medicorum neceſſariis præceptis circa diætam tibi traditis.

Lac vaccinum ad condenſandum & probè nutriendum utile eſt; aſininum autem in refrigerando efficacius eſt, melius detergit, ſeroſa excrementa per urinas deducens (ad id quoque utile eſt lignum nephriticum potui ordinario additum) adde his, nihil intactum prætermittere quod ſecum non abripiat, ſi modo ritè prætetfluat: Id propria experientia tibi innotuit, hinc occaſio data effectum probandi; Exequeris quod Me-

dici tui præſcribent, víſque major lacti accedet, ſi paſcantur animalia herbis affectui tuo appropriatis: Saccharum roſatum probo, quo dulceſcat lac; ratum autem habeo ſyrupum datâ operâ ex herbis vulnerariis concinnatum, Teſtudinibus nemoralibus, in Gallia Narbonenſi, de Garrige dictis, limacibus cochleatis, cancrorum caudis, raniſque viridibus, quarum apud vos ſuppetit copia, maximi futurum uſus, unciam illius cum lactis cyatho diluendo: Roſaceæ aquæ adjici poterit pars quarta decocto ſimplicium dictorum, limpido ante ſacchari injectionem reddito: Saccharo roſato tabulato, quo uteris, adjici velim verum lapidem hæmatitem ritè præparatum: Cornu cervinum optimè calcinatum philoſophicè, ad vaporem aquæ cujuſpiam pectoralis, ac cancrorum oculos vulgari modo paratos probo: Quoad lapidem hæmatitem, conſule mira quæ de eo tradit in tuo affectu peritiſſimus inter antiquos Medicus, *Alexander Trallianus*, cap. 1. lib. 7. Practicæ Titulo de iis quæ ſanguinem ſpuentibus conveniunt

veniunt à deſtillante humore acri: quem quoque utilem cenſeo iis quibus ob anaſtomaſin ejicitur, omníque hæmoptyſi è pectore, quæcunque cauſa eam pariat. Tuſſis ejuſmodi morbi moleſtiſſimum eſt ſymptoma, Pulmonem enim irritans & concutiens, neque occludi vaſa concedit, neque coaleſcere: parari itaque cura tabellas bechicas cum extracto, nequaquam uſto, ſed ad vaporem aquæ facto ex optima liquiritia, macerata in aquis veronicæ & verbaſci: addantur penidia recentiſſima hæmatites, & manus Chriſti ex margaritis & corallis confecta: Si in ſomnum propenſus non es, quies ex intervallis arte concilianda; parari igitur cura aut diacodion tabellatum, aut utere ſyrupo papaveris albi, ut decet diſpenſato; eo uſurpato hora ſomni, hordei cremori remixto, initio ad unciam ſemis, vel drachmas tres, ad unciam, ad ſummum, ſenſim procedendo, ſi urgeat neceſſitas; ſed cave ab eorum uſu ſi carere licet.

Quoad remedia univerſalia, purga-

tionem præſertim & ſanguinis miſſionem, prior rara eſto, vitatis ſemper fortioribus catharticis, ſatis ſit ptiſana laxativa, paranda ex Senna, Tamarindis, Caſſia, Syrupo de cichorio cum rheo quadruplicato, aliquando manna Calabrina, alba, recenti & granulata, omnibus ritè clarificatis: Nec omittenda venæ ſectio, frequens potius quam copioſa, juxta indicationes: Cætera revellentia & derivantia, à Medicis tuis propoſita, è re ſunt, uſurpanda congruo tempore & adhibito conſilio: Cauteria quod ſpectat, quod in brachio eſt equidem non improbo, ſed ſatius meo judicio, ſi cervix inter primam & ſecundam vertebram inuratur vel duplex excitetur fonticulus in ſcapulis, inter omoplatæ ſuperiorem angulum & dorſi ſpinam.

Præter hæc, præſto ſint remedia contra paroxyſmum, cum ſcilicet ſanguis exundat: Hoc in caſu, non minus venæ pedum apertio mihi probatur, quam brachiorum cucurbitulæ Jecoris regioni admoveantur: oxycratum ex

aquis

aquis plantaginis & ſpermate ranarum: Trochiſci vel globuli formati cum gummi tragacantha in aqua Plantaginis ſoluta, quò coeat cum pulvere compoſito ex media parte aluminis rupei in alkool redacti; quarta cornu cervini ad albedinem igne calcinati; quarta item lapidis hæmatitis præparati, & manu Chriſti corollatæ ad pondus omnium: Ore detineantur ii globuli, ſenſim liqueſcentes deglutiendo; tardè ii deſolvantur. Alumen eo in caſu maximi eſt effectus, drachma detur hora ſomni ex hordeo mundato, pluribus diebus ex ordine imo poteſt diſſolvi in lacte tenui, quod vim ebullitione adſciverit ſibi plantaginis injectæ, verbaſci, alchymillæ, pimpinellæ, tormentillæ, & vincæ pervincæ; clarificando id lac, additóque alumine, apozematis aut julepis exhibendis. Adduco hîc experimentum, ex authoribus noſtris deſumptum, cujus uſus in mei honorem redundavit, nominatim in annoſa Nobili Matrona, deſperatè hæmoptyſi à pulmone afflicta; ſanguinis inde pluribus libris per plures dies con-

tinuos, emiſſis; extundi juſſi ſuccum foliorum tenuiſſimorum urticæ rubræ urentis bis in die exhibens uncias quinq; illius ſucci per reſidentiam depurati, pro doſi (ſi addideris uncias ſyrupi corallini ex arte facti, efficacius erit remedium) ea quanquam ſexagenaria tunc, debilis & inops, à quinquennio perfectè valetudini reſtituta eſt. Conſilio adhibito in uſum ducere poteris. Jam mihi nihil aliud dicendum ſupereſt: Si Deus vitam tibi conceſſerit, idoneúmque remediis reddat, ad tui obſequium & conſervationem quantum concedunt experientia & in arte peritia, ſemper præſto ero. Vale.

Londini $\frac{10}{20}$ Febr. 1657.

*Ad hunc uſque annum 1674 rectè habet Vir Illuſtr. & Nobiliſs. ſexagenario major, cœlebs, πτηρυγώδης, habitu corporis omnibúſque indiciis propenſionem nativam in Phthiſim exhibens, purulenta exſpuens, tuſſi perpetua fatigatus, diæta exſiccante, ſalitis halecibus fumo duratis, mero uſus; ab humectantibus nocumentum percipiens.*

CONSI-

# CONSILIUM III.

## In affectibus hypochondriacis variis.

## Pro Nobili Juriſconſulto.

*Gallicè ſcriptum.*

SEdulum ad examen cum revoco omnia ſymptomata quibus fatigatus fuiſti, atque hactenus tibi moleſta ſunt, Temperamentique etiam tui habito reſpectu, radicem omnium te affligentium affectuum conſtituo in humore atribilario, non ſolùm in jecore genito, malè ſecreto, pejus in liene ſubacto (in ventriculi diſpendium & partium, per quas ſecundum naturam exitum nanciſci debet), ſed quoque in venas cum reliqua ſanguinis maſſa diſtributo, imo ad cerebrum uſque delato, quod infenſus hic naturæ hoſtis tanquam partem organicam impetit, cujus temperiei inductâ alteratione, functi-

functiones hinc animæ principes interdum in opere aberrant: atque ab hoc humore, non aliunde, repetenda origo prægreſſorum Melancholicorum pathematum per paroxyſmos recurrentium; Decubitus humorum in partes ano finitimas, quorum malignitas in ſale ſeptico & corrodente ſedem habet, inſignem illum genuit abſceſſum, quem fiſtula excepit: importunus ille volæ manus ſiniſtræ, & plantæ pedis calor, ſplenis ſuperiora æquè ac inferiora affectantis indicium præbet; porrò, intenſa oris ſiccitas, quam exhalationes ſulphureæ, nitroſæ, vitriolatæ, a viſceribus elatæ inducunt: Iterum ſtupor aut torpor brachia & crura per periodos tantùm, non continuò afficiens; quibus omnibus accenſenda venit linguæ ἀκράτεια & balbuties ex intervallis recurrens, ab his inquam procul omni dubio conſtituitur idæa pathematis melancholici; Reciprocus ſucci illius a Liene ad cerebrum, & viciſſim, confluxus, gravia quandoque inducit Symptomata, Epilepſiam & alia: Ita ut non omnino ab-

ſurdum

ſurdum judicem de paralyſi imminente prolatum præſagium, quanquam illius periculum declinari poſſe exiſtimem, dummodo conſtet virium robur: Fiſtulæ autem curam dimittamus, cum ad ſanationem ea properet: Ne verò triumphum ante partam victoriam canamus, ſpatium quinque aut ſex menſium præſtolemur, expectantes num forte aliqua affectus palindrome conceptam ſpem integræ curæ & perfectæ, retrò ire cogat: Non abſimilis eſt humoris atrabilarii & plerorumque venenorum indoles, horum vis antidotorum efficacia aliquatenus retuſa, quam invexerunt, tempeſtas ſedatur, deſinúntq; inducta ſymptomata, vel quod ſupereſt, nullo negotio à natura priſtino ſtatui reſtituta evincitur: Eo igitur collineamus, cum meo judicio quævis alia methodus curativa, etſi ſpecie tenus utilis, irrita futura ſit.

Diætam non attingo, certus eos, quorum fidei commiſſus es, nihil de opportunè agendis vel cavendis prætermiſſuros. Properandum ad remedia,

De iis autem cenſeo futile futurum in levibus ſubſiſtere, præſcribi ſolitis potius ad Medici, quam ad ægri ſolatium; quæque revera adiaphora ſunt, innoxia quidem, ſed ſic nullius juvaminis: Radicitùs malum convellendum, perpetua ſobole aliàs pullulaturum.

Primum agmen ducent vomitoria, tam ad efficaciter everrendam primæ regionis ſaburram, quam ad amovenda quæ ſpecificorum efficaciæ (à quibus ſolis expectanda victoria ac de atra bile triumphus) impedimento futura ſunt: Ex his nullum valentius mihi perſpectum eſt, magíſque periculi expers, infuſione croci metallorum facta in vino Canarienſi, illius ℥j. pro hujus ℔j. ſumendo; cujus prima vice, ſi modò in vomitum ſis proclivis, ſumes ℥j. additâ oxymelitis ſimplicis ℥ß. & ℥j. aquæ cardui benedicti: Si tibi deeſt illa propenſio, exhibeantur ʒx. vel ℥jß. quanquam, ut exiſtimo, tutius ſit à minori doſi inchoare, niſi mali vehementia aliud ſuadeat; ter vel quater, imò ampliùs, vomendum, nullo interjecto alio medicamento;

mento; quòd ſi conatus ſint irriti, facilis fiat ſubverſio ventriculi hauſtu aquæ hordeaceæ, aut juſculi pulli liquidiſſimi, imò ſolius aquæ tepidæ: Ter ad minimum provocetur ejuſmodi vacuatio, intercalaribus duobus tribúſve diebus, à qua ad purgationem fiat tranſitus, inſtituendam per apozema hypochondriacum elleboratum.

Si hypochondriis, totóque abdomine preſſius manibus contrectatis, pertinaces deprehendantur obſtructiones præparans aliquod in 7 aut 8 dies neceſſariò præbendum erit, quibus exactis iterato exhibenda erit purgatio: Si venæ ſectionis aliqua ingruat neceſſitas (à qua tamen parum opis expecto) ejus inſtituendæ curam ſuſcipiat Medicus præſens: Id unum annoto, me inferiorum venarum in malleolis, quàm ſuperiorum in brachiis, apertionem, niſi quid aliud obſtet, præferre.

Corpore ita decenter vacuato, ad chalybis uſum, totius curæ ἡγεμονικὸν, deflectendum erit: In univerſalium præſcriptorum decurſu hebdomadæ

tres

tres ad minimum impendendæ erunt; atque interim intenſæ linguæ ſiccitatis, admodum tibi moleſtæ, brevi, ut ſpe. ro, diſſipandæ, à qua nihil gravius imminet, cura habenda erit, dummodo ritè corpus à calidis illis ſuccis, nitroſis, ſiccis, æruginis naturam ſapientibus, vitriolicis, intenſam illam & inexhauſtam ſitim inducentibus, emundatum ſit: Eo in caſu magno ſolatio eſt apertio venarum ſub lingua ſitarum, à qua æſtus pulmonum & cordis ſedatur, cerebrúmque efficaciter liberatur: Hoc ſi occupatum animadvertas, perſtétque membrorum continuus ille torpor cum motus impotentia, admovendum erit nuchæ grande veſicatorium, in ſummis humeris duo excitandi fonticuli: Capiti raſo Fernelii Cataplaſma, vel aliud ſimile Epiſpaſticum imponendum: Illinenda lumbricorum aut veſpertilionum balſamo, *&c.* quotidiè tota ſpina, tempeſtatéque commoda Thermas Borbonenſes aut Aquenſes adibis, à domicilio tuo non procul diſſitas, earum lavacro uſurus, corpúſque ac ſpinam uni-

verſam

verſam ſtillicidio earum ſubmiſſurus..

Id verò ratum habeo, terrores tuos fore Panicos ſi chalybeatorum uſui te voveas, quorum efficacia plurimos melancholicos liberatos vidi, qui membrorum impotentes jam paralytici judicabantur: ac inter hos, Nobilem Virginem, à Bohemorum Regina mihi commiſſam anno præterito, vi ſucci melancholici omnium membrorum motu deſtitutam, quam Deo juvante ad eam remiſi hilarem & firma fruentem valetudine, omnibus qui ante me curam ſuſceperant ſucceſſum mirantibus, quorum judicio Paralyſi laborabat, contrariámque omnino & aliam ab ea, quam trivi viam, ineuntibus, cujus ductu ſanitatem adepta eſt, Veterani canes ſoli optimi venatores.

De fiſtula autem tua cenſeo eam non procul à ſanatione abeſſe, ſi fides habenda tuo Chirurgo, Viro peritiſſimo, ad quem, quod ante optaveras cum jam ſcripſerim, non eſt ut iterum calamum reſumam, quo de mea benevolentia ulterius certus fiat.

Topica

Topica ſuperflua futura ſunt, ne tamen officio & amicitiæ deeſſe videar, ſi quid exſiccandum ac cicatrice ferruminandum reſtet, ſulphuris balſamo, de quo ſæpius mentio à me facta, uteris, qui omnium remediorum aliorum, parti affectæ congruentium vicem ſubeat: Emplaſtrum Diaſulphuris parti admoveri poterit: quæ cum deterſione aliqua indigeat, eam in rem commoda erit lapidis mirabilis Crollii ſolutio, vel alterius, meo judicio, æquè efficacis, conſtantis ex Bolo Armena puriſſima, vitriolo albo & camphora juxta artis legis præparati: Aut commodè in uſum duci poterit aqua Mercurialis ab Hartmanno deſcripta, ex Mercurio ſublimato facta, à ſpiritibus corroſivis liberato ber Jovem, ſecundum artem.

Ubi excuſſus erit paralyſeos metus, ac humor hypochondriis conceptus edomitus fuerit & cicuratus, atque ubi in id ſolùm incumbendum erit, ut fiſtulæ cura ſit ἀσφαλὴς & indubia, quo Ulcerum identidem germinantium in

imis illis partibus, corruptioni obnoxiis, ortus præcaveatur; tunc remediorum mercurialium interius aſſumptorum uſus tempeſtivus fuerit, quæ tempore & loco opportunis, cum cautionibus neceſſariis tibi præſcribentur, ut & alia quædam exſiccantia è mineralium petita claſſe eáque diaphoreſin promoventia, penes quæ vis eſt diſcutiendi vapores malignos, ac fluxionum originem, in corpora noſtra pro varia partium excipientium diatheſi diverſimodè actionem ſuam exſerentium, quæ impreſſionis & efficaciæ illarum diſcrimen ſubeunt: ſed ſat multa pro tempore, his ſolùm ſubjungo remediorum aliquorum ſeriem ſupra promiſſorum: Illis uti ſi lubet Dom. Favonius Pharmacopæus, eorum præparationi ſeriam operam navabit: Si Fiſtula cicatrice occluſa eſt, exiſtimo, quo rite longum hoc ſtudium decurras, è re eſſe ut Genevam te conferas, *&c.*

Ante omnia, ventriculus ad facilem ſubverſionem præparetur per biduum.

℞. Oxymelitis ſimplicis ℥iij.
Scillitici ℥j.

miſce pro 4. doſibus ſumendis bis in die longè à paſtibus ex hauſtu ptiſanæ.

℞. Infuſionis croci metallorum in vino Canarino factæ (ea præparatione ut ad ℥j. croci in ſubtiliſſimum pulverem redacti ſumantur vini ℥xvj.) hujus inquam infuſionis per chartam colatæ accipe ℥j.
aquæ cardui benedicti ℥j.
oxymelitis ſimpl. ℥ß.

m. f. hauſtus dandus mane cum debito regimine præſcripto.

Reiteretur hoc medicamentum ad tertiam uſque vicem, interpoſitis duobus tribúſve diebus pro ratione virium & diſpoſitione ventriculi, obſervata remedii operatione; ſi opus ſit, pro facili tolerantia poterit augeri infuſionis quantitas ad drachmas decem vel unciam unam & ſemis.

Diebus interpoſitis operæ pretium fuerit hypochondria & regionem ventriculi decocto emolliente, incidente, aperiente, & utcunque corroborante

fovere

fovere: ab hoc fluidi reddentur humores vomitu eradicandi, & minus moleſta operatio ſuccedet.

Poſt tertium vomitorium, interpoſito uno vel altero die quietis, detur apozema ſequens.

℞. radicum filicis fœminæ
cichorii
taraxaci
corticis mediani fraxini
radicum oxylapathi ana. ℥j.
althææ ℥ß.
corticum radicum capparum
tamariſci ana ʒ x.
radic. polypod. recentis ℥iij,
folior. fumariæ
chamædryos
chamæpithyos
agrimoniæ
betonicæ
capillar. omnium. ana. man. j.
florum herbæ paralyſis
hyperici an. pug. iij.
nympheæ pug. ijß.
ſummit. anthos
majoranæ an. pug. j.

ſemin. pæoniæ maris ʒiij.
foeniculi dulcis
coriandr. ppii an. ℥ß.
carthami rec. pleni &
ſubſidendis ℥ij.
paſſularum exarillatarum
jujubarum an. ʒiiij.
poma redolentia per fruſta ſecta
cum corticibus, n. iij.

fiat omnium decoctio in ſ. q. aquæ, in qua præmaceratæ fuerint per vj horas
Tartari vini albi ſcintillantis ʒvj.
folior. Sennæ mundat. ℥ ij.
fibrarum rad. ellebori nigri veri,
ʒ iiij.

poſt ſufficientem decoctionem fiat colatura, quæ levi coctura reducatur ad ℥xv. in quibus diſſolve
Syrupi roſar. pallidarum ſolut.
cum agarico,
de cichorio quadruplicato Rheo
an. ʒ j ß.
Spiritus vitrioli guttas xij.

m. f. apozema pro tribus diebus matutinis ſumendis cum cuſtodia, diebus conſequentibus vel alternis pro diſpo-
ſitione

ſitione virium, idque horis tribus ante juſculum.

Si tundenda videatur Saphæna alterutra, inter vel poſt iſtas purgationes, id committitur præſentis Medici arbitrio.

Poſtea præparentur uſque & uſque peccantes ſucci, & potenter reſerentur obſtructiones viſcerum medicamento ſequente.

℞. decocti pomorum redolentium,
ligni nephritici, addito tantillo ſaſſafras, ℔ iij.
Vini albi tenuis ℔ j.
Spiritus Salis
vitrioli ana ʒ j.

Miſceantur exactè in concha vitrea lata, mox inſtilletur paulatim ex olei Tartari per deliquium facti, q. ſ. ad extinguendam omnem aciditatem, adde

Syrupi florum veronicæ,& ubiq;
ubi additam rubræ violacei
herbæ paralyſeos, ana ℥ ij.
aquæ cinnamomi cochlear unum,

fiat perfecta commiſtio longa agitatione:

ne: capiat hujus liquoris ℥ v. pro doſi bis in die, longè à paſtibus per octiduum; quo tempore elapſo repetatur purgatio.

℞. folior. Sennæ mundat. minutim inciſorum, ʒ iiij.
Rhabarb. electi ʒ ij.
fibr. radicum ellebor. nigr. veri ℈ iv.

hiſce contuſis affundatur ea quantitas decoctionis colatæ Tamarindorum & Tartari, q. ſ. ad infuſionem faciendam per totam noctem ſuper cineribus tepidis, addendo

florum lavendulæ ℈j.
maceris florem unum & alterum

mane poſt levem ebullitionem fiat colatura, in qua reducta ad doſin, diſſolve

Syrupi roſar. pallid. compoſiti cum agarico
mannæ Calabr.
Spiritus vitrioli, guttas iiij.

miſce, fiat potio propinanda mane cum regimine debito.

Hoc pacto ſufficienter præparatum erit

erit corpus ad uſum chalybis, cujus aſſumendi methodus primo quoque tempore aſſignabitur, maturè ſatis; interim dum Dominus præſcriptis faciendis vacabit, & decurret ſtadium utrunque longum, ſed abſolutè neceſſarium ad debitam ſuccorum peccantium & corporis curandi præparationem.

Interim linguæ ariditati proſpicient ſyrup. ex albumine ovi & ſaccharo cryſtallino.

Trochiſci de liquiritia ex ejus extracto cum ſaccharo roſato præparati, addita mucagine gummi tragacant.

Aqua ſtillatitia lactis cum ſyrupo de mucilaginibus per cochlearia aſſumpta ex globulo vitreo, aut phiala anguſti orificii.

Uſus cryſtalli rupis ritè præparati ex conſerva violar. aut nenuphar.

Injectio in fauces ex aqua hordei cum lacte recenter mulcto per ſe, vel addito pauco ſale prunellæ.

Syrupus ex ſucco ſempervivi maj' cum ſaccharo coctus, addito eodem prunellæ ſale: Videndum ut viciſſim

iſta uſurpentur, ne nimium uni aſſueta natura, ejus effectum eludat vel aſpernetur.

Non dubito quin vel minuantur præſcriptorum uſu, vel maxima ex parte tollantur ea quæ paralyſin minantur ſymptomata, quibus vel leviter perſeverantibus, ut animo meticuloſi ægri ſatisfiat, ex Medicorum præſentium conſilio, applicetur raſo capiti Cataplaſma Fernelii ad catharrum, in ipſius conſiliis deſcriptum per plures dies conſequentes, Veſicatorium amplum apponatur poſteriori collo, à quo excitatæ veſicæ diu apertæ teneantur.

Pyrotica duo affigantur ſcapulis prope ſuperiorem angulum ſcapulæ, à quibus facta ulcera ampla, piſis pluribus continuò aperta ſerventur, ſuppoſito emplaſtro tenaciſſimo etiam attrahente.

Balſamo veſpertilionum noſtro tota ſpinæ longitudo liniatur mane & veſperi, multum fricando manu calefacto.

Balſamus veſpertilionum.

℞. Ser-

℞. Serpentes ſive colubros majores detractâ cute,
per fruſta ſectos, numero iij.
veſpertiliones, num. xij.
catulos lactentes perpingues, n. ij.
vermium terreſtr. vino albo lotorum ℔ j.
olei commun. ℔ iij.
vini malvatici ℔ iv.
foliorum ſalviæ
majoranæ
lauri
calaminthæ
origani
pulegii, ana. man. ij.

Coquantur (addendo axungiæ ſuillæ recent. ℔ ij.) ad vini conſumptionem & animalium putrilaginem: Pinguedo validè exprimatur:

℞ ejus pinguedinis ℔ j.
gummi Elemi,
tacamahacæ, ana. ℥ j ß.
medullæ cervi
crurum bovis, ana. ℥ ij
galbani puriſſimi, ℥ j.
liquid. ambar. gutt. x,

butyri,

butyri, nucis moſchatæ,
olei laurini, ana ℥ſß.
miſce, fiat Balſamus.

Ulcera inciſionis circa anum excitata, fida ut ſpero cicatrice ferruminabuntur: Si ſecus contingat, abluatur diſſolutione lapidis mirabilis dicti; vel tangatur ulcus aqua Mercuriali ex ſublimato per ſtannum cicurato, & à corroſivis ſpiritibus liberato: Indatur ſulphuris balſamus, qualis à Rulando deſcribitur, & ſuperponatur Emplaſtrum Saturninum ex creta, vel Emplaſtrum Diaſulphur; quæ remedia in ulceribus ani vicinarúmve partium ſpecifica poſſunt indigitari.

Si quæ interna perſeverant, vel iterum pullulanti malo debeantur, mineralia ſunto, ex mercurio & antimonio debité præparatis deſumpta, quæ idoneo tempore, pro urgentis neceſſitatis gradu à nobis deſcribentur.

P. S.

## P. S.

### *Uſus prædictorum remediorum.*

A Reditu in patriam, ſub menſis Septembris initium curabis tibi parari enema emolliens & detergens, addito electuario lenitivo & melle Mercuriali. Injiciatur mane tribus circiter ante prandium horis.

Poſtridiè aſſume purgationem præſcriptam: quod ſi tibi arrideat forma boli, addi curabis ſcrupulum Mercurii dulcis ritè præparati, debito obſervato regimine.

Die ſequenti ineas uſum Apozematum, pergendo per dies octo.

Quibus exactis eadem potione purgante corpus repurgabis aut bolo.

Poſtmodum ſi neceſſitas urgeat, ad chalybis uſum tranſitus fiat, obſervato ordine tradito.

Si illius uſum nihil abſolutè inſinuet, ſufficiat proba diæta, cujus ſingularia facile tibi erit aſſequi. Exercitia interea

rea corporis ne dimittantur, omnino tibi neceſſaria ; atque ex intervallis, ad minus ſemel in menſe, corpus expurga, aſſumpto ſupradicto bolo cum Mercurio dulci.

Familiaris tibi ſit infuſio, aut decoctio levis in ſecundo conſilio memorata, cui adde ſi lubet chalybis limaturæ, ℔ß. ad quatuor aquæ fontis aut ciſternæ menſuras : aſſumendo ex unoquoque ligno uncias duas.

---

CONSI-

# CONSILIUM IV.

## In iiſdem affectibus hypochondriacis.

### Pro eodem Nob. Juriſconſ.

*Gallicè conſcriptum.*

CUm ter ad nos acceſſerit Tabellarius, nec de tua interim valetudine quicquam ad me perſcriptum ſit, anxia ſolicitudo me habuit, ob inſignia & verenda ſymptomata in ultima tua Epiſtola deſignata, quorum cauſa conſilium à me exaratum tranſmiſſum eſt: Sed poſtrema à te conſignata formidinem omnem excuſſit, quæ certum facit, ſuperveniente in gena dextra abſceſſu, à quo effuſum eſt pus laudabile, tam per apertionem à Dom. Juif inſtitutam, quam per aurem, moleſta ariditatis oris ſymptomata, & quæ paralyſeos præludia erant, omnino deſiiſſe;

Quoad

Quoad fiſtulas, ante tibi infeſtas, eas cicatrice propediem occludendas eſſe, ac pene ſanatas eſſe, interveniente accurata tui Chirurgi cura, cui debita ob id laus à me, & artis peritis omnibus debetur, quam palam faciam, cum id à me efflagitas, quanquam ab adulatione tum admittenda tum impertienda æquè ſim alienus.

Antequam vulnera tua omnimodam conſolidationem conſequantur, hyemis maxima pars decurret, vérque ſubſequens propè digito continges, quo tempore diætæ & remediorum uſurpandorum ſtadium, prolixum ſanè, multò facilius decurres quàm urgente bruma. Porro cum neceſſe ſit, quò vitam tuam ſartam tectam tuearis, generoſum quidpiam aggredi, nec quicquam jam urgeat: mea ſententia eligenda à te eſt idonea tempeſtas, per quam, nequaquam interrupto curationis filo, remedia ſucceſſivè & cum fructu in uſum ducentur, quæ aliàs interruptis vicibus adminiſtrata, nec uno tractu, quanquam ex arte præſcripta nullum

nullum omnino ſucceſſum habitura ſunt: Autor ego ſum, ut ſtatim ac D. D. Guenault, *&c.* è re viſum fuerit ad curæ complementum, ἁδροτέρως per catharſin corpus tuum inaniatur, juxta methodum à me præſcriptam. Deinceps quieti tute traditurus es, in id ſolum incumbens quo priſtinæ vires reparentur, tum alimentorum probi ſucci uſu tum levium cardiacorum, præſertim magiſteriorum perlarum, coralli rubri, & oculorum cancri, modò cum juſculis uſurpatorum, modò cum confectione Kermeſina & ſyrupo pomorum redolentium, interjectis levibus purgationibus ex ptiſana laxativa, ex ſola ſenna compoſita, vel quandoque additâ caſſiâ, tamarindis & mannâ, ritè omnibus clarificatis, modo purgantium doſis duplicata infuſionis quantitate imponatur, ob accedentem depurationem. Ab hujus ſtadii decurſu, per temporis quod ſupereſt ſpatium, ad æquinoctium vernum uſque feriari te jubeo, quod cum aſſequutus eris, alteri te committas, novum corpus reſumpturus,

turus, methodo inſiſtens à me ante ad te tranſmiſſæ, juxta quam, peractis remediis univerſalibus, quorum formulæ penes te ſunt, ad chalybis eſſentiam tibi deveniendum erit, quam præparatam propriiſque manibus commixtam ad te mitto: Meo autem judicio ſtrenuum adeo eſt id remedii genus, tibiq; accommodatum, ut ſi naturæ tuæ congruat, quam non repugnaturam exiſtimò, ut in ejus uſu per dies ſexaginta perſeverandum eſſe cenſeam ad normam mei præſcripti: Hoc pacto ſpero roboratis tuis viſceribus, emendatos iri humores, atque acciſam iri collectionem cauſarum omnium præteritorum accidentium, imo recidivarum, quas accerſere poſſet fiſtulæ in ano occluſio, quæ quanquam optanda, periculo ſæpe proxima eſt, cum natura arte invitâ, effluvia quærit: Fidem facit Cardinalis Richelienſis brachium, cui diuturniore forſan lucis uſurâ licuiſſet frui, ſi minori cura fiſtulæ curationem proſequutus fuiſſet.

Chalybis uſui interponentur neceſ-

ſariæ

ſariæ purgationes, cavendo deinceps ab aloëticis, podicem irritantibus, niſi eorum amarities caſtigata omnino fuerit, quod ex arte conſequi licet, quanquam me judice parvi referat id tentaſſe quod utilitatis minus quam oſtentationis inſit.

Abſumptâ tuâ chalybis eſſentiâ (quæ faſtidium tibi parere non debet) de balneo tepidæ cogitandum erit, lactis aſinini uſu, de acidulis, quarum tamen, ut credo, vicem chalybs ſupplebit, utinam à lateribus tuis eſſe mihi liceret proram directuro, quando verò id futurum ſit neſcio, quanquam hoc unum votum ſit lares meos poſſe repetere.

Chalybs ad te tranſmiſſus, propriis manibus integram abſolutam præparationem nactus eſt, ac Deo juvante, plus ex ejus uſu frugis percepturus es, quàm ex cæteris omnibus. Illi benedicat Deus, *&c.*

# CONSILIUM V.

## In iiſdem affectibus hypochondriacis

### Pro eodem Nob. Juriſconſ.

*Gallicè miſſum.*

ULtimæ meæ prolixè tibi dederunt modum chalybem in uſum ducendi, qui, ut exiſtimo, princeps eſt remedium valetudinem tuam revocare aptum: Id ſolum supereſt, ut præparatum ad te tranſmittatur: Quod jam facio, accepturus enim es ſyrupum pondo ſeptemdecim unciarum. Qui ut temperetur & perficiatur, quo in uſum ducatur ad normam in præcedentibus meis traditam, concinnari cura ſequentem ſyrupum.

Accipe poma redolentia, curtipendula, & quæ à Regina nomen ducunt, quot

quot libuerit, cortice ea exue, poſt aquam ex iis elice in duplici vaſe ad Mariæ balneum ebulliente, quoad ſufficiens eliciatur quantitas, prædictam aquam effunde, detractis illis corticibus menſæ inſtratis, quoad ex parte ſiccentur, adde recentes cortices ſex limonum tenuiter diſſectos, iterúmque ea aqua diſtilletur per cucurbitam terream Belvacenſem, aut ſtanneam; vel dummodò diſtillator accuratè fracturam vaſis præcaveat, per ingens vitreum Alembicum, ſimili capitello donatum: inde roſtri Alembici parti internæ nodulum ex ſindone rara repletum ſemidrachma ambræ cineritiæ cum ſex moſchi granis: Impone vas aheno aqua repleto cum fœno aut ligni ſerra diviſi raſura, juncturis probè luto commiſſis, ex farina, calce viva, & albumine ovi conſtante; deſtillatione aqua eliciatur, in qua leni calore diſſolve tantum ſaccari candi albi, ſubtiliter triti, quantum aqua abſorbere poterit ad ſyrupi conſiſtentiam, cujus acceptas præcisè uncias viginti tres dilues & commiſ-

 cebis

cebis cum ea quantitate quam ad te mitto, quæ ſufficiens tibi futura erit in ſexaginta dierum uſum, qui termini ſunt à me tibi præfixi. Syrupus hic concluditur lagena terrea ritè obturata & ſigillo meo obſignata, hac nota ne *varietur.*

Totum lubens tranſmiſiſſem, ſed tranſvectionis pretium enorme fuiſſet: theſauri tibi vices teneat pro recuperanda valetudine, quod tibi fortè non concedetur loco quem incolis; omninóque abſume, nullis reliquiis reſiduis; utinam tibi propius adeſſe liceret, utilis enim eſſet mea præſentia pro tam eximii remedii dextro uſu, quanquam tibi non deſint periti directores, quandoquidem in vaſto illo Pariſienſi Emporio verſaris: De ſucceſſu monebis me, maximè ſi valetudinis integræ deſiderium domum te revocet, obſtétque quo minus Ver expectes, remediorum efficaciam & operationem adjuvans.

Quoad Parotidem tuam (opus arduum & utplurimum remediorum

vim

vim eludens ) vix exiſtimo eo in ſtatu te eſſe conſtitutum, ut ea de cauſa conſilio meo & ope indigeas ; cum affectuum declinationem jam prætergreſſum te eſſe exiſtimem, ſi tamen pertinax quædam durities ſuperſtes fuerit, mercuriali quopiam remedio ea dometur, quod cæterarum vim intendet, duritiémque efficaciter infringet. Frequenter ea in uſum duco, atque mihi compertum, ſi ſuppurationis ſpes omnis ſublata ſit, hoc pacto rarefactis humoribus, illam à natura perfici eo quod congelatum eſt puris formam adipiſcente: id præter alia experimenta, mihi contigit in duobus tumoribus peſtilentibus, quorum unus infra axillam poſitus, duritiem per ſex ſeptimanas retinens, etiam jampridem extincto veneno, eo ſubſidio felicem ſuppurationem nactus eſt.

 CON-

# CONSILIUM VI.

## In iiſdem Affectibus.

## Pro eodem Nobili.

Idonea tempeſtate, ut vere proximo, paulo poſt æquinoctium, præmiſſis univerſalibus præſcriptis, & per ea ſedulò præparatis & evacuatis ſuccis peccantibus, veniendum erit ad remedium chalybeatum, cujus uſus (pro ratione facilis tolerantiæ) extendatur ad diem ſexageſimum, ſervatis cautionibus neceſſariis: Porro numerus iſte dierum ita dividatur, ut ſyrupi noſtri Martialis drachmæ duæ per ſex dies: drachmæ tres per totidem: quatuor per xij; quinque per xij; ſex per octiduum; ſeptem per octiduum; octo per octiduum exhibeantur in quovis liquore grato, ſive ſit ſerum lactis clarificatum; ſive aqua pomorum, fumariæ,

riæ, boraginis, meliſſæ, ſeu jus tenue pulli gallinacei, vinum, cereviſia tenuis, &c. vel aqua reſumptiva, cujus in ſequentibus mentio fiet.

A medicamenti aſſumptione Dominus ambulet, vel alio exercitio moderato utatur, à qua corpus citra ullum ſudorem leviter incaleſcat, & differatur prandium ad quatuor horas, qui paſtus ſit ſatis largus pro appetitus diſpoſitione & ventriculi ad concoquendos cibos boni ſucci facilitate: Cœna autem parca ſit, non ingerenda ante præcedentis alimenti digeſtionem. Potus ordinarius eſto vinum oligophorum, gilvum, apprime dilutum decoctione radicis filicis fœminæ mundatæ, ligni lentiſci & ligni nephritici.

In iſtius ſtadii chalybeati decurſu, purgetur corpus potione ſequenti, poſtridie dierum xij, xxiv, xxxvj, xliv, lij, & lx, propinato hauſtu horis quatuor ante juſculum, cum debita cuſtodia.

℞. Radicis polypod. recentis
pulpæ tamarindorum, ana ℥ſs.

folior. Sennæ mundat. minutim
inciſor. vino albo odoro irro-
rator. ℥ v.
fibrarum rad. elleb. nigr. veri ℥ j.
trageæ commun.
cremoris Tartari ana. ℥ ij.
fiat omnium decoctio in q. ſ. aqua-
rum ſtillatitiar. fumariæ & flor. nym-
phææ, colaturæ adde
Rhei electi ſeorſim infuſi in aqua
meliſſæ cum ℈ ij. ſantal. citr. ℥ ij.
reducantur omnia ad parvam doſin,
in qua diſſolve
ſyrupi roſar. pallidar. ſolut. cum
agarico ℥ j.
mannæ Calabr. ℥ ß.
miſce, potio fiat, in aurora exhiben-
da.

Diebus intermediis ſyrupus Martia-
lis diſſolvatur in hauſtu ptiſanæ laxantis
paratæ cum Senna & Glycyrriza, ut
artis eſt, idque tertio quoque die.

Præparetur aqua reſumptiva ex ſucco
pulpæ carnis vituli, capi, vervecis, cor-
dis agni & vituli, extracto in vaſe du-
plici; addatur ſuccus pomorum redo-
lentium

lentium, lactis ſerum recens & ſanguis nefrendis, agni, vituli longa agitatione à fibris liberatus, aliquid cinnamomi & macis, & fiat in duplici vaſe diſtillatio: Liquori diſtillato addatur quarta pars vini rubri generoſiſſimi, & fiat iterum diſtillatio: Liquor in phiala vitrea fideliſſimè obturata, ſervetur ad uſum.

℞. Syrupi de pomis redolentibus
florum veronicæ rubræ ana ℥ vj.
de corticibus citr. ℥ iv.
miſce, inſtilletur ſpiritus Salis q. ſ. ad levem aciditatem, adde
confectionis Alkermes ℥ß.

Servetur ad julepos, miſcendo hujus ſyrupi ℥ j, cum ℥ iv. aquæ prædictæ; exhibendo horis quinque à prandio, duabus ante cœnam, iis diebus quibus capiet ſyrupum Martialem: Vel ſi ventriculus hoc potu turbetur aliquo modo inter duos paſtus, ſumatur hora ſomni, præſertim ſi quam percipiat virium proſtrationem, vel propenſionem ad animi deliquium.

His ordine factis ad amuſſim, locus erit uſu-

uſualibus corroborantibus, corpus renovantibus, ſpecificis contra atram bilem, purgantibus ordinariis, Balneo aquæ dulcis tepidulo, ſero lacti aſinino & forſan aquis mineralibus, quæ omnia & ſingula pro re nata juxta præcedentium ſucceſſum præſcribentur.

Interim ſeduli & periti artificis manu præparetur Paſtillus Bezoarticus ſequens, quo nihil præſtantius ad muniendum cor & cerebrum adverſus malignorum vaporum quorumvis appulſum.

Paſtillus Bezoarticus.

℞. Cornu cervi Philoſophicè calcinati ad vaporem vini albi generoſi in ramentis ligni Juniperini, Ebeni, Rhodii, ut artis eſt. Bezoar cervini cum oleis validiſſimis vitrioli & ſalis, ex cornu ad albedinem calcinato præparati, ana.
uncias duas.
Cranii cervini,
Hominis ſani ſuſpenſi eodem modo ptæparati, ana. ℥j. magiſterii corallorum

rallorum rubeorum perlarum,
matris perlarum cum alumine præcipitati, ana. ʒ vj.
oculorum cancri,
Extremitatum nigrarum chelarum cancrorum majorum, marinorum præparatorum, ana. ℥j ß.
Radicis Carlinæ, ʒ x. contra-yervæ Indicæ, ℥j.
Cuchinillæ miſtecæ,
Lapidis Bezoar orientalis,
occidentalis, ana. ʒ v.
Carnis Epatis, cordis & oſſium vertebrarum Spinæ viperarum debito tempore captarum, ʒxij.
caryophillorum,
macis, ana. ʒj.
ambræ griſeæ, ʒ ij.
moſchi, ʒß.
ceruſſæ antimonii fixiſſ. *partem*

*unam*

*unam ad quinque reliquorum,*
fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus excipiendus ſ. q. gelatinæ fortis cornu cervini, croceæ, addita pauca mucagine gummi tragacanth. extracta aqua theriacali ſtillatitia. Fiat paſta, ex qua formentur paſtilli in formis idoneis ad uſum: ſiccentur, & ſerventur in pyxide impenetrabili, loco ſicco.

Urgente vapore melancholico, oppreſſione, palpitatione cordis aut ſævientibus aliis vaporoſis affectibus, dentur grana decem, duodecim, quindecim, viginti, in confectione alkermes, aqua capitis cervini, aqua theriacali, vino, alióve liquore cardiaco.

*Exactè his præſtitis, ſanatus Vir Nobiliſſ. genio indulgens, &c.*

CONSI-

# CONSILIUM VII.

## In variis affectibus Perinæi Gangrænam & Iſchuriam ſequentibus.

## Pro Nobili Viro.

### *Affectus deſcriptio.*

QUia ſtatum Generoſi ægri ſcire cupis, ipſius juſſu paucis, ſed, ordine ipſum tibi aperiam: Reverſus huc ex magna Britannia ſæpiſſimè de ardore urinæ, nonnunquam quoque de ipſius retentione conqueſtus eſt, ſed ſumptis emulſionibus à Te præſcriptis, enematibúſque, adhibitis quoque candelulis facilè reſtituebatur: Ex ſiniſtra tamen parte Perinæi, à duobus aut tribus menſibus ante morbum, uſque dum fuit ruptus abſceſſus in Perinæo, dolorem pungitivum, non uſque adeo acu-

acutum tamen, continuò perſenſit.

Circa principium verò menſis Aprilis hujus anni 1620, cum præſcriptam victus rationem non ſatis exactè obſervaſſet, in exercitiis quinetiam corporis modum exceſſiſſet, fœtorem quendam in urina percipere cœpit: fœtor ille paulatim adeo auctus fuit, ut mirum ſit quomodo talis putredo abſque febre, nauſea aliiſque graviſſimis ſymptomatis in corpore tamdiu deliteſcere potuerit: Eodem quoque tempore in fundo urinæ materia quædam viſcida, ſpermati ranarum non abſimilis conſpiciebatur.

Præterito menſe Maio, cum ad Alpes prædia ſua inviſendi gratia profectus eſſet, & ſcopulos pedes aſcenderet deſcenderétque, & proinde præter modum & conſuetudinem incaluiſſet, longè graviora invaſerunt ſymptomata: Reverſus cum eſſet, emulſiones præſcripſi; enema ex lacte aliquoties injeci: Renes unguentis & oleis refrigerantibus inunxi, cholagogo leni corpus expurgavi, venámque in brachio in-

cidi:

cidi: Et quia materiam illam foetidam & viſcidam copiosè cum urina excernebat, lactis ſeri uſum cum ſaccharo ad aliquot dies ſuaſi.

His per dies xiv. obſervatis, exquiſitiſſima item diæta, cum omnia ſalva eſſe viderentur, foetor etiam urinæ nonnihil remittere videretur, Solodurum vocor; non diu poſt meum diſceſſum malum acerbius & crudelius quam ante ſævit; non ſolum enim febris ardentiſſima & continua cum urinæ retentione, ſed & phlegmone in ipſo perinæo exoritur. Ideo me abſente alium Medicum advocare coactus fuit: Inſiſtit & ille emulſionibus, enematibúſque & locum affectum oleis convenientibus inungit; ſemicupio quoque, præ doloris vehementia, uti cogit: Interim redeo, ægrúmque velut in agone reperio: febris enim vehemens, ſyncopæ frequentes, nauſea, cibi faſtidium, urinæ ardor & retentio, omniáque imminentis mortis ſigna aderant: phlegmone in perinæo magnitudine ovum anſerinum ſuperabat, cum maximo dolore pungitivo,

vo, tumore & duritie ſcroti & virgæ: Dom. D. Rex ante meum adventum anodynis, diſcutientibus & reſolventibus ſimul, ſed fruſtra uſus fuerat: quare ad pus moventia tranſitus fieri debuit; quod hoc cataplaſmate effectum.

℞. rad. & folior. althææ
malvæ ana manip. j.
coquantur & piſtentur ſ. a. adde
farinæ tritici uncias duas
ſemin. fœnugr.
lini, ana unciam unam,
butyri recentis
olei lileorum albor.
unguenti de althæa, ana, unciam unam & ſemis,
croci drachmam ſemis,
vitellorum ovorum, n. ij.

miſce, f. cataplaſma, quod calidè admotum bis & ter in die, xxix Maii, cum in medio peritonæo, & quidem in ipſo tauro, ruptus fuiſſet abſceſſus, pus adeo putridum & fœtens in copia effluxit ut totum conclave incredibili, imo cadaveroſo odore impleret, per aliquot dies perſeveran-

te:

te : talis enim erat ſphacelofa putredo, ut totum perinæum emortuum excideret, & ulcus ingens ſuccederet.

Interim admota putredinem coercentia, ulceri unguent. Ægyptiacum meum, cum filamentis & duabus turundis, quarum una verſus ſcrotum aſcendebat, altera deorſum verſus podicem deſcendebat, impoſui poſtea Cataplaſma ſequens.

℞. Farinæ lupinorum,
fabarum, ana. unciam unam & ſemis.
pulveris ſummit. abſynthii
Scordii,
rutæ, ana. drachmas duas,
coquantur in oxymelite ſimplici, fiat cataplaſma, cui calenti adde
aloes,
myrrhæ, ana. drachmam unam & ſemis,

carnem autem emortuam, quoties ulcus deligatum, forfice & ſcalpellis quantum fieri potuit excidi: Pus cum penicillis ex ſpongiis in decocto ſcordii, ru-

tæ, abſynthii & lupinorum, addito ſale, madefactis abſterſi; ſic putredo paulatim, & quidem intra triduum, deſiit nec ulterius ſerpſit; quare uſum Unguenti Ægyptiaci intermiſi, & linimentum ex pulver. radicum ariſtoloch. rot. Irid. Florent. angelicæ, aloës item & myrrhæ, cum extracto ſcordii, parúmque ovi vitelli mixtis ulceri impoſui; cataplaſmate tamen præſcripto ultra hebdomadas tres uſus fui: In perinæo autem non ſolùm cutis & caro à putredine eroſa fuit, verùm etiam membranæ multæ putridæ, ductus urinarii proculdubio tunicæ exſcindendæ & auferendæ fuerunt; quare tota ferè urina per ulcus effluxit ad diuturnum tempus.

Circa initium Junii, in medio virgæ, & quidem in ipſo latere dextro, tuberculum, quod ab initio ferè morbi duriuſculum fuerat, in abſceſſum abiit, qui paulò poſt diſruptus quoque eſt, non tamen ad ipſum ductum urinarium penetravit, quare adhibitis emollientibus, digerentibus & mundificantibus

ficantibus, haud difficulter coaluit.

Triduo à rupto in virga tuberculo, humor qui antea per totum ſcrotum ſparſus fuerat, in imam ipſius partem, verſus ulcus in perinæo decubuit, ibique extuberantiam quandam duram effecit. Ab admotione verò ſacculorum emollientium, unguenti de althæa & emplaſtri ex meliloto, materia ibidem collecta per ulcus in perinæo paulatim vacuata fuit.

A carne putrida & membranis ſphacelatis ſatis mundificato ulcere, decocto traumatico ex pyrola, alchimilla, ſanicula, conſolida Sarracenica, artemiſia & beta rubra cum vino rubro ſtyptico uſi fuimus hoc modo, Bibat æger hauſtum tribus horis ante prandium, & totidem à cœna; cum ſiphone quoque ulceri illud bis in die calidè injecimus: duabus quinetiam cum turundis eodem concocto madefactis ulceri immiſimus, una videlicet ſurſum, altera deorſum verſus proſtatas: tandem linteum reduplicatum in eodem imbutum calidè applicuimus: Non tantum au-

tem ulceri cum ſiphone decoctum, verùm & ipſi ductui urinario tam ſurſum quam deorſum infudimus: Id verò ut commodè fieret, roſtrum ſiphonis in curvum fieri curavimus.

Non autem admiratione caret in hac graviſſima maximáque putredine ſphincterem ſemper ſalvum & incolumem extitiſſe; apparet inde quòd æger etiam in ipſo morbi vigore urinam ſemper cohibere potuerit, nec unquam involuntariè illa effluxerit: ulcus nihilominus, quod deorſum verſus veſicam tendebat: profundum erat, & ad ipſas proſtatas, quas jampridem malè affectas fuiſſe exiſtimo, tendebat; Quoties autem urinam excernebat, partim per penem, partim quoque per ulcus effluebat, abſq; tamen difficultate ulla & dolore: prædicto decocto traumatico in tertium menſem uſus eſt, ita ut paulatim ulcus pleniſſimè conſolidatum fuerit nec fiſtula ulla remanſerit.

Præter topica, univerſalia quoque in uſum ducta, & paululum recreatis viribus, alternis diebus, aliquando ra-

rius

rius, tantillum terebinthinæ optimæ exhibui, cujus beneficio alvus lubrica eſt facta, & viæ urinariæ ſimul expurgatæ: Renes unguento roſ. cum camphora inuncti, & lamina plumbea ejus magnitudinis,ut lumbos & os ſacrum cooperiret, admota.

Nunc optima valetudine fruitur D.G. Generoſus ille nec ullum incommodum graviſſimi mali percipit; urinam liberè excernit, hoc ſolo reſiduo impedimento, quod pruritum quendam doloroſum, ubi ante fuit ulcus, percipit: In urina præterea nonnunquam furfures deprehenduntur, ac quoties ipſam vult excernere, guttula una materiæ viſcidæ, albæ & glutinoſæ in extremitate ductus urinarii ante urinæ excretionem apparet.

Qualis ſit illa materia & unde manet ex te ſcire avet Generoſus. Ego materiam illam ex labefactatis & nondum ſatis corroboratis proſtatis provenire exiſtimo, eſſeque velut excrementum ſeminis, beneficio naturæ ad extremitatem virgæ detruſum.

Quærit etiamnum cur pruritus ille doloroſus in urinæ excretione, poſt cœnam cum cubitum iturus eſt ſolummodo, non autem mane aut interdiu perſentiatur? Arbitror ego locum illum, membrana ſua deſtitutum, naturam noctu, cum operationes naturales præcipuè fiunt, viſcoſa quadam & glutinoſa materia in eum finem, ne ab acrimonia urinæ lædatur, munire: Interdiu verò urinam, quia aliquoties excernitur, materiam illam abluere, partémque adhuc debilem vellicare: Hæc ſi non probabilia, veriſimilia mihi videntur.

## *Reſponſio.*

Quod de Dominio Aubonne nuper à me empto gratulari per literas voluiſti, & novæ poſſeſſioni ominari ac precari felicia, amice abs Te factum Vir ornatiſſime; quum præſertim eo nomine aliquando colendam tibi proponas mutuis colloquiis neceſſitudinem, quam literis hactenus inter nos cœptam excultámque perſonali conſortio fovere ipſe

ipſe percupio; partorum longum & tranquillum uſum mihi meíſque indulgeat omnipotens Deus, nóſque Tuorum Votorum compotes faciat: Brevi aſpirante Numine, ignota mihi, licet noſtra inviſurus, advolare cogito: Interim me Tui amantiſſimum redama & me tuum eſſe ſcito.

Vide quam propitium ſit nobis homuncionibus cœlum, quod ut altera manu Generoſum ægrum noſtrum inſuperabili penè malo afflixit, ſic altera porrexit operæ opíſque tuæ remedium; cujus (ſi unquam) tempeſtiva præſentia, Vir optimus Orci faucibus ereptus ex malorum Iliade redivivus emerſit: Votivam ſolvat Deo opt. max. ſanitatis autori gratiarum tabellam, Tibíque Æſculapio gallum vigilantiæ hieroglyphicon offerat.

In corporibus quorum urethram dira carunculæ carnificina diu vexavit, etiam poſt abſumptam carnem ſuperfluam & ferruminatum ulcus, pars diutiſſimè debilis remanet, ſuſcipiendis fluxionibus aptiſſima, in ſubjecto præ-

ſertim plethorico, ſanguineo, bilioſo, mobilium humorum, duri exercitji, genii liberalioris & parum exactæ diætæ: Strenuè à Doctore Rege ecum pugnatum ad arcendam phlegmonen, quæ potuiſſet præcaveri forſan, niſi partem opplens conguſtio, remediorum vi eluſa, humorum digeſtionem & diſſipationem multis paraſangis ſuperaſſet: partium infimarum, humidarum, excrementis vicinarum putredo ſumma eſſe ſolet, quam dicto ocyus corripit ſphacelus, cum horrendo fœtore, qualem æger expertus eſt: Victus & languens nativus calor ſi partes deſerat, ſuccedit immediatè morticinii ſubjecti diſſolutio: Sed Divina benignitate debellatum abs te malum, in cujus curatione plurimum herclè tribuo Traumatico veſtro decocto mihi notiſſimo, & multiplici experimento maximè comprobato.

Tria nunc reſtant de quibus meam poſcitis ſententiam. 1. Pruritus eo loci ubi fuit ulcus, poſt cœnam ſaltem infeſtus, toto die imperceptibilis. 2. Uri-

na furfurum plena, quæ talis non con-tinuò, ſed per intervalla funditur. 3. Pu-rulentum excretum, quod in apice glan-dis, ad meatus urinarii ſummitatem congeſtum, urinam præit & ab ipſa expellitur.

Primùm, tribuo tecum parti adhuc tenellæ, quam vix adhuc tegit cicatrix, eáque adeò mollis & tam exquiſiti ſen-ſus, ut (deterſo per iteratam diurnis horis urinæ excretionem muco quo totus ductus per ſomnum delibutus veluti cir-cumvallatur) facillimè lædatur urinæ acrimoniâ nervoſum corpus, frequenti inſuper excretricis ſollicitatione irrita-tum: Ad hoc incommodum firmetur exſiccantibus cicatrix: Injectiones vul-nerariæ fiant in urethram, additis ochra inſipida vitrioli, ad ſummum calcinati & ſaccharo Saturni: Suffitus excipiatur perinæo in ſella perforata, ex thure, maſtiche, ſandaracha, ſuccino, aloë, myrrha, addito antimonio crudo, nec-non ejuſdem antimonii cinnabari, in parva quantitate.

Furfuracea num ex renibus prode-ant,

ant, quos utplurimum trahit in conſenſum glandularum proſtatarum diuturnum malum? Num ex veſica ob longam vicinarum partium intemperiem, tumores, ſolutionem continui, ſcabie quadam laborante?

Materia viſcida, alba, videtur quid redolere πυώδες, eámque arbitror vel per διαπήδησιν ex tenui ulceris membranula exſudare, vel à proſtatis ulceroſam duritiem patientibus fundi, quæ glandulæ cum excrementitium mucum, à ſemine longè diverſum, naturaliter contineant, eúmque oblinendo ductui deſtinatum, ad facilem & indolentem ſeminis & urinæ excretionem, ſi debiliores fuerint, humoris quantitas excedit vulgò naturæ modum, multíſque ſub Gonorrhœæ ſpecie imponere ſolet: Huic ſymptomati prædictæ proderunt injectiones, ſuffitus, quibus ſi acidularum potus ex artis legibus ſubnectatur, & tandem pilulæ ex terebinthina maſtichinatæ, per menſem unum & alterum deglutiendæ exhibeantur, nos in perfecta curatione omne punctum laturos confido:

fido: Longa eſt hujus mali hiſtoria, cujus, faxit Deus ut cum ad vos venero, videam Cataſtrophen: Si quid peragendum reſtet, communi fiet conſilio; Interim Viro Generoſo auxiliattices manus dare perge. Vale, *&c.* Londini, Januar. 23. An. 1621.

---

---

CONSI-

# CONSILIUM VIII.

## In Iſchuria ab affectu Renum Calculoſorum

## Pro Nobili quodam.

### *Affectus deſcriptio.*

NObiliſſ. N. conſtitutione corporis calidus ac ſiccus, ſexageſimum tertium ætatis annum ingreſſus; cujus partes nobiles adhuc velut integræ ſunt, exceptis renibus, præcipuè ſiniſtro: Ab ineunte ætate caſtra ſequutus eſt, & proinde labores & moleſtias multas ſuſtinuit; hinc factum eſt ut ante annos viginti defluxionibus ad articulos obnoxius eſſe cœperit: Ubi intemperies calida epatis, continuò vapores mittendo ad cerebrum, haud parum auxit malum: Horum dolorum Arthriticorum & defluxionum cauſa etiamſi Generoſitas tua D. D. de la

la Riviere & D. D. Quercetani, alio-rúmque Medicorum uſus eſſet conſiliis & remediis, & quidem cum ſucceſſu, nihilominus tamen graviſſimos ac diuturnos ſuſtinuit dolores & cruciatus, ita etiam ut tandem in nodoſam podagram abierit, & in lecto per multas ſeptimanas cubare coactus fuerit: Interim tamen ceſſante dolore, præter domeſticas & privatas occupationes, publicis etiam & quidem etiam magni momenti negotiis præfuit, ac ſtrenuè incubuit: Quia autem domeſticis ſuis medicamentis, à prædictis Medicis præſcriptis ad arthriticos dolores arcendos, cauſámque mali diminuendam hactenus cum fructu uſus fuit; neque etiam exiguum fructum ac commodum ex fonticulis quos geſtat, percipit, Gener. Tuam literis non oneraſſet, niſi ante annum alius affectus, in quo conſilium & auxilium à Tua Gener. expetit, ſuperveniſſet. Ut autem negotium penitus intelligatur, paucis illum ob oculos ponam.

Xviij Junii ſuperioris anni 1620.

cum

cum in lauto convivio cibis crudis & frixis ventriculum oneraſſet, & vinum præter conſuetudinem aqua fontana refrigeratum bibiſſet, eructationibus & nauſea correptus fuit: Cum verò alvus quoque ſubſtitiſſet, ſine conſilio Medici, xxij die, paulò ante prandium nonnihil terebinthinæ ſumpſit, cujus beneficio bis alvus ſubducta fuit: Sed quid fit? Circa primam noctis, cum urina planè ſubſtitiſſet, dolores acerbiſſimi, nauſea, tormina & vomitus ſupervenerunt: Ego 23. dicti menſis eum inviſens, exanimem ferè præ doloris vehementia, inveni: Venter prædurus & veſica propter copiam urinæ, mirum in modum extenſa erat: Suaſi ut enemate laxato ventre catheter immitteretur: Sed quia Nobil. æger operationem hancce propter ductus urinarii anguſtiam (quam naturalem eſſe refert) ſummoperè averſabatur, petiit ut omnia alia præſidia tentarem, antequam catheterem immitterem.

Enemata itaque aliquot infudi; ſemicupium ex radicibus, herbis, floribus

&

& ſeminibus emollientibus, laxantibus & dolorem ſedantibus præſcripſi, ſacculos ex iiſdem ſimplicibus paratos applicui, & ventrem, uti & perinæum, oleo liliorum albor. & amygdal. dulcium inunxi: Cum verò omnem diligentiam adhiberem, urina tamen non flueret, & dolores reliquáque ſymptomata magis magíſque adaugerentur, xxvj die, circa nonam noctis potiunculam ex granis tribus laudani, confectionis Alkermes ℈j. cum decocto pectorali parúmque aquæ cinnamomi diſſolutis exhibui: Hujus medicamenti beneficio eadem nocte bene quievit, & urinam inter dormiendum copiosè excrevit; An autem arenulas & lapillos ſimul rejecerit, notatum non fuit: Verum poſt dies aliquot lapillum cineritii coloris & poroſum, ſed valde exiguum in matula invenimus: Ab eo tempore dolores aliquoties quidem ſenſit, præcipuè è regione ſiniſtri renis, verum applicato ſacculo ex radicibus althææ, ex malva, parietaria, chamomilla, meliloto & ſeminibus emollientibus ac flatus diſcutientibus,

bus, dolores remiſerunt, neque gravia uſque adeo ſymptomata ſupervenerunt: Interim tamen lapillos aliquot rubicundos, duros & aſperos ab eo tempore rejecit: Etiam ante dies xiv. in poſtremo ſuo morbo.

Quod ſupereſt, exactam optimámq; victus rationem obſervat: per intervalla quinetiam vino medicato ex agarico, Senna, rhabarbaro, cremore Tartari & herbis quibuſdam appropriatis tempore vindemiarum parato, primo vias communes, deinde, videlicet ſequenti aut tertio poſt die, vias urinarias terebinthina expurgat; tandémque nonnihil aquæ ex radicibus aperientibus, ſaxifragia & ſimilibus bibit, ſed nunquam niſi corpore prius ritè expurgato: Scire verò cupit Gener. Æger, Terebinthina ſit lavanda necne? hac enim in re non conſentiunt Practici: Hactenus ex meo conſilio illotâ uſus eſt, ſubtiliores enim ejus partes, quæ vias urinarias petunt in lotione abire veriſimile mihi videtur, *&c.* 3 Xbris, 1621.

*Reſponſio*

## *Reſponſio.*

Morbi, quoad cauſam materialem, congeneres ſunt Calculus & Arthritis, loco tantùm differunt & conditione ſucci malum committentis, qui laxos membrorum articulos occupans, Salis diſſoluti ſpeciem refert: Renes & veſicam obſidens, Tartarum coagulatum repræſentat: Graphicè deſcribis, Vir Ornatiſſime, ſympotmata quibus conflictatur acerbiſſimè Vir Generoſus, quorum lenitionem, imo (ſi ſperari poſſit) per remotionem cauſarum omnimodam ſublationem, ut poſcit æger, tu in votis habes, ſic ego ipſi ex animo opto.

Nodoſa & tophacea podagra Medica reſpuit auxilia: nunc tantum eſtis ſolliciti de ſubinde adveniente urinæ ſuppreſſione, ab arenulis perangustis meatibus ſæpenumero impactis, quæ lotio exitum intercludunt.

Generationem calculi potenter impedit ad ſuperiora materiæ viſcidæ & tartareæ revulſio, ejuſdem per vomitum

excluſio, poſt liberaliores epulas & largiorem potum: hoc ſemel in menſe vel alternis menſibus fiat, à cœna, ut per ſomnum immediatè ſubſequentem corpus refocilletur & ſpiritus recreentur.

Circa ultimam Lunæ quadram, purgetur corpus medulla caſſiæ cum Terebinthina & Rhabarbari pulviſculo: Quatuor matutinis conſequentibus detur ℈ j. vel ʒ ß Tartari vitriolati ex Crollio in ſua Baſilica deſcriptione præparati: poſt aſſumptionem juſculi hoc ſale conditi, & radicibus aperientibus medicati, cum additione ſummitatum tenellarum malvæ & urticæ urentis, Vir Generoſus equitet, ſiquidem membrorum impotentia aliud remedii genus non admittit.

Clyſteribus emollientibus & refrigerantibus, addito electuario antinephritico Quercetani, alvus ſubinde everratur, renes contemperentur.

Acidularum potus non eſt futurus inutilis, licet forſitan aliquantum Arthritidi ob iritationem fluxionum in-

com-

commodus: Attamen leve malum præſens, emergente bono, eóque non exiguo, mercari operæ pretium duco.

Sufficiant iſta ad præcautionem: Urgente Iſchuria (ſi quando præter ſpem recurrat) clyſmate admodum emolliente, additis oleis amygdalarum dulcium & ſcorpionum atque terebinthinæ eluatur ſæpius alvus.

Foveantur relaxantibus, emollientibus, diureticis partes in quibus ſabuloſa hærebit ſaburra: Semicupium (ſi ratione exoletorum membrorum non ſit grave) ex iiſdem præparetur, addito oleo multo.

Ad deturbandos obices vias obſidentes, detur Tartarus vitriolatus præſcriptus ex aqua parietariæ, vino albo, oleo amygdalarum dulcium: Liquor raphani cum ſaccharo Cantio paratus optimus eſt: Lapide prunellæ in ptiſana vulgari, vel aqua parietariæ ſoluto, adjecto ſyrupo de althæa nihil in hoc affectu præſtantius: Vias lubricas reddet conſerva florum, malvæ vulgaris & roſeæ idonea tempeſtate præparatæ, cui

addatur pars tertia pulveris glychyrrizæ, gummi Arabici & pruni æquis proportionibus commixtio, capiat Dominus inſtar juglandis mane, per quinque aut ſex dies, ſuperhauſto vini albi momento, idque ante menſtruam purgationem & juſcula Diuretica.

Dolorum acerbitas Laudano exhibito; quoties opus fuerit demulceatur: Pluribus Virum Generoſum onerare ſalutis auxiliis nec volo nec debeo: Faxit omnipotens Deus ut hiſce remediis ſæva, quæ ſtrenuum Ducem exercet, carnificina bonis avibus poſſit averruncari.

Datum Londini, die 17, Febr. 1622.

---

CONSI-

# CONSILIUM IX.

## In Virgæ Caruncula

### Pro Nobiliſſimo Viro.

*Affectus deſcriptio.*

GEneroſus N. optimo corporis habitu præditus, robuſtus & jam 37 ætatis annum prætergreſſus, natura calidus & ſiccus eſt: Cum ante annos xij. ex immoderato ac nimis violento coitu gonorrhæam contraxiſſet, eâque aliquandiu laborâſſet, quadam nocte ſanguinem purum in coitu loco ſeminis copiosè effluxiſſe refert: Ab initio, & quidem per multos annos, cum propter verecundiam morbum celaſſet, penitúſque neglexiſſet, paulatim difficultas urinæ ſequuta eſt, quæ tamen ſecundum victus rationem, & exercitiorum violentiam nunc vehementior, nunc verò remiſſior fuit: interim tamen à multis annis urinam vix unquam liberè, & ſine aliquo conatu & ardore excernere

potuit æger ; Inter mingendum quoque dolores per totam ferè virgam perſentit, & furfures ſæpiſſimè in urina apparuerunt, atque etiamnum apparent , Lotium non rectà, ſed nunc in hanc, nunc verò in illam partem excrevit : A multis quoque annis materia quædam purulenta continuò per membrum virile exſtillavit, ſed abſque dolore, & nonnunquam quamvis raro, poſt excretionem urinæ, guttula una atque altera ſanguinis ſequuta eſt : In coitu, etſi voluptas minor eſſet ſolito, liberos tamen multos ex uxore ſuſcepit.

Cæterùm, cum ſuperiori æſtate propter negotia publica, & quidem magni momenti , maximum iter celeriter eques expediret, pars malè affecta adeo concuſſa, contritáque malum quinetiam adeo exacerbatum fuit, ut ſymptomata omnia quæ recenſui , mirum in modum adaucta fuerint, quapropter circa finem menſis Septembris, cum ad ipſum acerſitus eſſem , corpúſque ſemel atque iterum cholagogis expurgaſſem, ſemicupio uſus eſt æger, ſyrupum quinetiam violatum

violatum & de althæa, cum aqua radicum aperitivarum (ut eſſet velut vehiculum ſyruporum) per intervalla exhibui, perinæúmque linimento anodyno, renes verò unguento refrigerante, quotidie bis térve inungere juſſi: Quæ quidem medicamenta non ſine fructu adhibita fuere: remiſit enim dolor, & veſicam minori cum difficultate exonerare ægrotus cœpit: Cum itaque omnia ſalva eſſe (de carunculis enim & inveterato morbo mihi adhuc nihil conſtabat) ſperarem, ad meos me contuli, & quæ præterea agenda ægro ipſi atque domeſticis peragenda reliqui.

Non diu poſt meum abitum, quum morbus iterum recrudeſcere cœpiſſet, alius quidam Medicus in conſilium quoque adhibitus fuit: Is corpus iterum cholagogis expurgavit, ſyrupum violaceum & de althæa cum aqua petroſelini: emulſiones quinetiam ſeminum frigidorum majorum & amygdalarum dulcium maximo cum ſucceſſu exhibuit; perſeverante dolore, cum iterum advocatus eſſem, & æger morbum

inveteratum eſſe nobis aperuiſſet, inter nos conſtitutum fuit ut quid mali ſub-eſſet ſtylo exploratorio cathetereq; ex-plorarem: Quapropter corpore chola-gago ex ſyrupo roſato ſolutivo compo-ſito, nec non electuario de ſucco roſa-rum conflato, iterum expurgato, & ca-thetere immiſſo, carunculas diverſis in locis reperi, præcipuè verſus ſiniſtrum latus ductus urinarii: quæ carunculæ etiam nunc adeo obſtant, adeóque ſunt doloroſæ, ut in hoc uſque tempus ulte-rius quam media pars penis cenſeri poſſit: neque cathetere, neque ſipho-ne, aut candelis cereis explorare potue-rit æger, qui inſtrumenta & medica-menta ipſemet hactenus applicare volu-it: Ulterius itaque uſque nunc medi-camentis pervenire non potui, etiamſi in proſtatis non leve malum ſubeſſe, imo radicem mali in ipſis deliteſcere non du-bitem: Si enim ex diuturna iſta gonor-rhæa ductus urinarius exulceratus fuit indéque carunculæ excreverunt, quanto magis de glandularum iſtarum vitio atq; exulce-

exulceratione ſuſpicari nobis licebit? Dolor præterea (quamvis obſcurus) quem Generoſus æger ante menſes circiter duos, ut poſtea dicam, circa podicem ſenſit, malum aliquod ibi ſubeſſe denotat: Quandoquidem ubi dolor ibi & morbum eſſe Hippocr. & experientia fidem faciunt: Urina quoque ſuperiori autumno aliquoties involuntariè, imo & inter dormiendum effluxit: proculdubio propter ſphincteris, qui glandulis iſtis proximè adjacet, labefactionem, & quam cum proſtatis habet Sympathiam, maximúmque dolorem quem æger antea paſſus fuerat.

Explorato meatu urinario, & repertis carunculis, ſacculum ex radicibus, herbis, floribus & ſeminibus emollientibus, reſolventibus & dolorem lenientibus calidè applicuimus, totùmque perinæum linimento anodyno & emolliente inunximus: decoctum quinetiam emolliens ſiphone in ductum urinarium injecimus, Verùm, quod ante dixi, roſtrum ſiphunculi, ratione

ratione doloris, nunquam ſatis profundè immitti potuit, nihilominus curationem ad votum nobis ſuccedere ſperabamus, ſed fruſtra: Cum enim per dies aliquot corpus violento quodam exercitio iterum commoviſſet æger, morbus novum inſultum præbuit, cujus cauſa non tantum affectus in meatu urinario exacerbatus fuit, verùm etiam tertiana ægrum invaſit; quapropter inceptam curationem caruncularum ad tempus negligere coacti fuimus: Iterum corpus præſcriptis medicamentis cholagogis expurgavimus, venam in cubito dextro ſecuimus, optimam victus rationem, refrigerantem ſcilicet & humectantem inſtituimus, & quæ acrimoniam urinæ, ebullitionémque flavæ bilis frænare ſolent, propinavimus: lumbos, quinetiam regionem epatis, unguento refrigerante unximus.

In ductum verò urinarium collyrium ex mucilagine ſeminis cydoniorum, aqua roſacea & plantaginis extracta, cum ceruſſa lota, tuthia præparata, cornu cervi uſto & præparato,

ſiphun-

ſiphunculo injecimus: Hiſce per dies aliquot adhibitis remediis febris& dolor ille acutus in meatu urinario remiſiſſent, de dolore quodam obſcuro circa podicem, & è regione proſtatarum conqueſtus eſt æger, ſed applicato ſacculo ex floribus chamomillæ, meliloti, ſambuci, roſis, abſynthio & ſimilibus, dolor iſte remiſit: Tandem candelam ceream emplaſtro de ranis cum mercurio obductam, in meatum urinarium tam profundè quantum æger ſufferre potuit, ipſe immiſit, idque in eum finem ut explorarem an hoc modo carunculæ emolliri atque diſcuti poſſent]: fortiora enim medicamenta propter exquiſitum ſenſum, quo æger præditus eſt, nondum adhibere auſus ſui: Candelæ autem, quod minimè reticendum, quoties eas extraxi, undique materia viſcida & purulenta obductæ fuere: Ex quibus conjicio meatum urinarium variis in locis exulceratum eſſe, quod etiam Generoſus æger, dum roſtrum ſiphunculi aut candelam ceream immittit, facilè percipit: Atque hæc ſunt

ſunt quæ hactenus, Vir ampliſſime, circa affectum huncce à me obſervata fuere, una cum enarratione medicamentorum adhibitorum.

Quæritur nunc, I. An furfures, qui hactenus in urina apparuere ſcabiem veſicæ, ut voluit Hippoc. 4. aph. 77. in Generoſo noſtro denotent? Ego, ſalvo tamen tuo judicio, furfures non ex veſica, ſed ex ductu urinario provenire exiſtimo: Veſicâ enim ſcabie laborante ſubſidentiam urinæ non ſolum furfuroſam, verùm etiam urinam ipſam eſſe idem Hippocr. teſtatur: At in hoc ægro urina non craſſa, ſed ſemper (præterquam cum febri laboravit) naturalis fuit, & furfures in admodum exigua quantitate excrevit: furfures itaque nihil aliud quam cruſtulas ex materia purulenta & viſcida concretas, à natura in illum finem procreatas, ut eſſent veluti tegumenta ulcerum in meatu urinario exiſtentium, eſſe veriſimile eſt, quas tamen cruſtulas urina cum effluit, emollit, ab oſculis ulcerum ſeparat & ſecum educit.

II. An

II. An medicamentis quibuſdam per os ſumptis, aliiſque topicis caruncula extirpari & ulcera in meatu urinario ſanari poſſint? Nos fruſtra tentari Generoſo ægro ſemper indicavimus.

III. Si Topica adhibenda, an ea quæ recenſui, ſufficere poſſint, an verò fortiora ab Andræa Lacuna, Alphonſo Ferreo, & aliis commemorata, in hoc ſubjecto tali ſenſu prædito ut vix candelam ceream emplaſtro de ranis, uti dixi, obductam, ſufferre poſſit, adhibenda? Dubitamus.

IV. An in proſtatis malum aliquod ſubſit, necne? De hoc enim æger ſemper, nos verò nunquam dubitavimus, idque ob cauſas ſuperius commemoratas.

V. An materia aliqua purulenta, quæ per tot annos per penem exſtillavit, purum fuerit ſemen, necne? Ego planè ſentio non ſemen, ſed vitioſam materiam ex ſuperioribus partibus corporis eò delapſam fuiſſe: Ex diuturna enim Gonorrhæa, imo etiam ex immodico coitu calidum innatum extingui, humidum

dum radicale abſumi, corpúſque humanum contabeſcere ſciunt Medici: Id vero quia in Generoſo noſtro ægro (qui ſemper robuſtus & optimo corporis habitu præditus fuit) minimè accidit, non ſemen purum, ſed vitioſos humores effluxiſſe ſequitur: Hæc propterea adſcribo, ut demonſtrem malum aliquod in proſtatis deliteſcere, materiámque illam ſuppeditare: Ex renibus enim & veſica minimè defluere materiam illam, urina quæ ſemper fere pura & ut plurimum digeſta & laudabilis (præterquam quod ſurfures in ipſa apparuerunt) fuit, fidem facit: Unum tamen objicit æger, nimirum ſe antehac nullum percepiſſe dolorem circa podicem, ac proinde nullum ibi fuiſſe antea malum. Reſpondeo cum Hippocr. duobus doloribus ſimul, nec tamen in eodem corporis loco exiſtentibus, vehementiorem minorem obſcurare: Cum itaque caput penis, propter concurſum nervorum, exquiſitiſſimo ſenſu ſit præditum, mirum non ſit, ſi dolor iſto in loco (antequam anody-

na,

na, injectiones & conſolidantia adhibuimus) vehemens, alterum circa proſtatas (quarum ſenſus non uſque adeo exquiſitus) obſcuraverit: Ex quibus perſpicuum fit collyria reliquáque medicamenta non abſque fructu adhibita fuiſſe, multúmque de iis ſperandum eſſe, ſi profundius immitterentur.

VI. Cum antehac aliquoties Terebinthina, pulvere liquiritiæ involuta cum fructu uſus fuerit æger, Quæritur poſſitne quoque ſpiritus Terebinthinæ in corpore hocce, alioquin valde bilioſo tutò exhiberi?

VII. An ſolo uſu acidularum, hoc eſt, ſine topicis, affectus, cum in proſtatis, tum etiam in ductu urinario ſanari poſſit? Nos ſemper dubitavimus; Etſi enim acidulæ vias urinarias valde abſtergant, carunculas tamen minime abſumere poſſe exiſtimamus.

VIII. An fomenta illa emollientia, anodyna, viáſque urinarias relaxantia ſecundum rationem adhibita fuerint? An verò eorum uſu carunculæ magis

accre-

accreverint, uti quidam ægro perſuadere voluit; etiamſi affectus contrarium nobis demonſtraverit, *&c.*

## *Reſponſio.*

RESpoſionem ad tuas, ante annum ad me datas, vel cudere, vel mittere ſuperſedi hactenus, Vir Doctiſſime, quod Generoſus ille, in cujus gratiam ſcriptæ fuerant, de ſuo ad nos adventu ſpem diu fecerit nobis, eámque non irritam tandem præſtito eventu confirmarit: Quocirca cum in erudito tuo ſcripto totam recenſeres morbi, quo ipſe conflictabatur, hiſtoriam & à me longa locorum intercapedine diſſito peteres de agendis Conſilium, vanum duxi ea ſcribere, quæ dato ad manus ſubjecto reipſa facere, atque in ægri compendium præſtare ſatius fuit. Quid igitur in noſtro ſolo Britannico paſſus ſit, quid cum ipſo egerimus accipe.

Ὑπερσαρκώσεως in urethra latentis, mictionis difficultas & meiendi modus cum ſuſpitionem injicerent, cereolo

exploratum deprehendi malum, cujus cauſam gemino, ut aiunt, ab ovo retexens, quindecennalis iſtius carunculæ primordia gonorrhœæ tribuenda inveni, in cujus inflammatoria tentigine, ruptâ per coitum, ut vulgus vocat chordâ; vel, ut magis artificiosè, fiſsâ membranâ urethræ, inflammationis & vi tumoris contractæ & brevioris, poſt lardam hæmorrhagiam (qualis ad iſtos conatus & violenta ἀποσπάσματα conſequi ſolet) remanſit ulcus, ex quo paulatim ſuccrevit fungus, tumor videlicet præter naturam, atque in meatu morbus, nulla alia ratione quam ſuperflui per exæreticà ſublatione tuto certóve averru c - dus.

Solent ſpongioſi iſti thymi purulentam exſudare ſaniem, quæ minus accuratè hujus affectus penetralia rimantibus ſub ſpecie gonorrhœæ plerumque imponere conſuevit: Hinc puris filamenta per urinas fluitantia primo intuitu utrique noſtrum apparuerunt; cujus materiæ partem à proſtatis etiam defluere tecum arbitror, quas malè

K mulcta-

mulctavit, & per longiſſimum tempus afflixit intemperies malignitate non carens, caloris nativi deſtructrix, actionum omnium labefactatrix.

Perpenſis ſedulò ſingulis difficultatibus, præſertim verò delicatiſſima ægri natura, cujus exquiſitiſſimus ſenſus vel leviſſima chirurgiæ præſidia pro ſæviſſimis tormentis habet, manum admovi operi, & præmiſſis univerſalibus, ſæpius iteratâ blandi cathæretici per cereolum applicatione, totam abſumpſi carunculam, exiguo ſane cum dolore, in minus molli verruca, dimidiam ferè meatus urinarii longitudinem, cujus dimenſionem vix tres digiti latitudine ſua adæquaſſent: Non leve movit negotium colli veſicæ proximitas, cum ad finem ventum eſt, imprimis autem exignum illud tuberculum quod oſculo dehiſcente viam dat ſemini in urethram, cujus moles tumore aucta ab humorum affluxu, minus perito artifici feciſſet fucum, atque exedentium longiorem ſuaſiſſet uſum.

Verum hoc tibi ſit à me in Carun-
culæ

culæ curatione ſecretum, plus cunctando quàm feſtinando promoveri: Quotieſcunque ulceris labia remediis irritata intumeſcunt, ea ſi lenientibus mulceantur, ſubſident, & (mirum dictu) pertinaciſſimi obices intra dies pauciſſimos per ſe evaneſcunt.

Ita contigit Generoſo noſtro ægro, qui nunc Dei optimi, maximi beneficio tam immunis eſt a chronico, & jam pene in habitum converſo morbo, quam fuit unquam: Patet regia ſeminis & urinæ via, atque amplo, continuo, recto filo ducitur lotium, quod nuperrimè ſtillatim, magno etiam conamine exprimebatur.

Dempto ſuperfluo, reſtitit ulcus oblongum, reſpectu partis magnum, cauſæ vero utcunque malignum, quod uſque & uſque deterſum, deſiccare atque ad cicatricem perducere indeſinenti labore hactenus moliti ſumus. Unicum eſt poſt ferruminationem, ſoliditatem aeque duritiem cicatrice procurare, id quod nec levibus nec paucis, vel medicamentis vel diebus perfici poteſt in parte

 quam

quam urinæ torrens quotidiano flumine alluit: Si per publica negotia licuiſſet ægro diutius apud nos commorari, curationi addidiſſemus colophonem: Defert tamen in iſta diſceſſus ſui neceſſitate remedia & conſilia ſecum, quibus abſentiæ noſtræ jacturam reſarciat.

Confirmationis ergo, atque ut quicquid glandulis inhæſerit, tollatur radicitus, & ſuccidatur anſa novæ infirmitati, ſuaſi ut repurgato ex arte corpore, proximo vere diætam ſudorificam aggrediatur, quâ nihil utilius autumo, cum ad univerſalis cauſæ correctionem, tum ad partis roborandæ utique & validè deſiccandæ reſtitutionem in integrum.

Cæteras conſilii mei minutias in prolixo ſcripto, atque in arena decernes, quid primum, quid poſtremum præſens rerum facies ſuaſerit: Curationum animæ ſunt temporum opportunitates, quas ſectari earúmve momenta arripere abſenti denegatum.

Ex ipſius Generoſi ore intelliges quibus artibus utar in debellando pernitioſo hoſte:

hoſte; quâ providentiâ ſæviſſimorum ſymptomatum eludam carnificinam; qua ſedulitate eorundem præſentem ferociam mitigem.

Epiſtola excreſceret in volumen ſi vellem cuncta perſequi: Ne tamen publico bono invideam meam in hac artis particula ſolertiam, ſi quando ab aulicis curis reſpirare mihi licuerit, luci tradam meos de caruncula commentariolos, quos informes fœtus politioribus ingeniis & peritioribus, atque in artis operibus magis exercitatis lambendos tradam lubens: Neque enim mearum lucubrationum amore ardeo, nec meis majora vel meliora accudi non poſſe credo.

Ut facias exæretici noſtri periculum, ejuſdem tantillum mitto, quod tamen ſit ad quatuor ingentes carunculas penetrandas & exæquandas ſatis.

Si tardius opus perfecerit, animum ne diſpondeas, tutò & jucundè operari ſatius quam citò & cum periculo: Vanus nunquam medicamenti erit effectus, quem tamen accelerabis pro li-

bitu mercurii præcipitati additione : Sed quid ego noctuas Athenas : Iſtud habeto benevolentiæ meæ ſymbolum, ſi majus & ſolidius deſideraveris,neque tibi id denegatum iri ſcito.

Ad quæſtiones tuas nihil reſpondeo, ſi meum poſtulas de iis quæ Generoſo ægro vel ſuaſiſti olim, vel adminiſtraviſti teſtimonium, quicunque te calumniantur, diſcant peritis in arte eſſe credendum, & me ſecundum artem omnia abs te præſtita aſſeverare, *&c.* Datum *Londini*, 5 *Calendas Februarii*, 1616.

---

CONSI-

# CONSILIUM X.

## *In Catharro.*

## Pro Nobili quodam.

*Gallicè tranſmiſſum.*

DOMINE,

MAlorum amicis meis advenientium particeps fio, in eorúmque conſenſum trahor, ſi præſertim ii ſint quibus obſequia mea devovi, genio ad id impellente: Audio catharrum tibi moleſtum de die aliquas inducias concedere, per noctem verò multo cum labore exacerbari: Ejuſmodi affectuum indoles eſt ut per circuitus nocturnos ingraveſcant, quo tempore phlegma cæteris humoribus prædominatur.

Jam ſatis ſupérque cum repurgatum ſit corpus tuum univerſum, ſupereſt jam ſpeciatim emundandum cerebrum,

ac deinceps, mediante deſiccatione, corroborandum.

Eam ob rem autor ſum, ut matutinis horis, duabus ex ſerie diebus, demum alternis, ad aliquod tempus utaris gargariſmate ex duodecim vini albi cochlearibus compoſito, aceti quatuor, mellis tribus, & duobus ſinapi, contriti & ut moris eſt diſtemperati: Tepeſcat ea mixtio ejúſque cochlear unum vel alterum aſſume, gargarizando ac ſeduló exſpuendo quicquid phlegmatis in os à cerebro eliciet: Iteretur hic gargariſmus quinquies, ſexies, imo ſepties, donec caput depletum & levius factum percipias; ſin faucium aliqualis ardor ſuperſtes ſit, deſinet is gargariſatu ex temperatiſſimo oxycrato.

Parari cura pulverem ex maſtiches drachmis ſex, ſuccini flavi drachmis tribus, benzoini duabus drachmis, roſarum rubr. ſemin. coriandri, ana. drachm. ij ſß. hoc pulvere mane & veſperi nocturna capitis operimenta ſuffumigentur, aut potius ſtupæ pileo conſutæ, vel chartacea calantica perpetuò geſtanda, ſuper-

ſuperimpoſito illi pileo. Apprime enim neceſſarium & ad mali præſentis curationem, & imminentis gravioris prophylaxin, ut tota hyeme adverſus frigoris injurias muniaris: Mane inſtituantur frictiones ſummorum humerorum & brachiorum totiúſque ſpinæ ſecundum ejus longitudinem, per lintea moderatè calida: Cervici admoveatur panis recens è furno eductus per medium diſſectus; aut potius matutinis horis cucurbitulæ ſiccæ.

His omnibus obſervatis, niſi venter ſecedat, laxandus erit, cui rei conducent clyſteres: Sin ab ejuſmodi remedio abhorreas, utere prima menſa prunis cum ſenna decoctis: Si conſilium meum utile tibi fiat, abundè erit mihi ſatisfactum, &c.

Ad

# Ad Peſtis crudeliter graſſantis præcautionem & curationem

# *REMEDIA,*

*Communi D.D. Medicorum ordinariam operam Regiæ Regis Angliæ valetudini ex officio præſtantium ; conſenſu præſcripta ; ejuſdem Majeſtatis pharmacopœo conſignata, Die* 6. Julii, *anni* 1625.

## Prophylactica ad Peſtem

### *Juſculum medicatum.*

PRo Jentaculo Regis Juſculum ſorbeat ejus Majeſtas jus capi alteratum foliis oxalidis, oxytriphilli, portulacæ, borraginis, bugloſſæ, calendulæ, meliſſæ, pimpinellæ, flor. veronicæ rubr. fruct. berberis, raſura cornu cervi : In cujus colatura ad ℥ viij. diſſolvantur mag. corall. dulc. perlar. an. ℈j cryſtall. oxalid. & oxytriph. an. ʒj. m. Si deſint cryſtalli, inſtilletur ex olei Sulph. per campanam extracti, quouſque modicam brodio conci-

conciliet aciditatem: Rex jus iſtud antequam cubiculo exeat, corpore ab excrementis vacuato, capiat, & prandium ad tres horas differat: Quod ſi moleſta ſint juſcula & jentaculi varietatem appetat ventriculus, quotidie mane ſint promptu ſequentia ad nutum E^s^. M^s^. exhibenda.

*Gelatina è Cornu Cervi.*

℞. Raſuram pertenuem & latam cornu cervini è recenter occiſo animali extracti, ℥ j ß.
Aquæ fontanæ, ℔ ij.

Bulliant ad mediæ partis conſumptionem non tollendo ſpumam: mox fiat per pannum ſtamineum colatura, cui adhuc calenti addatur pro lubitu Vinum Rhenanum, ſuccus limonum, aut citri mali, aquæ cinnamomi tantillum, ambræ griſeæ grana pauca, color flavus illi concilietur gran. ij. croci, incluſi nodulo ex tela rara, qui liquore imbutus ſæpius exprimatur: Gelatina calens effundatur in vaſa murrhina, & ſinatur congelari in loco frigido.

*Alia*

*Alia Gelatina magis cardiaca.*

℞. Cornu cervi raſi ℥ j ſß.
florum borraginis
buglosſi, ana. pug. iv.
flor. calendulæ
veronicæ rubr. an. pug. j.
ſummit. meliſſæ, man. j.
aquæ fontis ℔ ij.
vini Rhenani opt. ℔ ſß.
Coquantur donec reſtet ℔ j. cui adde
Gelatinæ mororum rubi Idæi uvæ criſpæ
Rob. de riber. ana. ℥ ij.
Aquæ cinnamomi cochlear unum
Ambræ griſ. gran. iv.
moſchi orient. gr. j.

Omnia levi calore liquata fundantur, ponantúrque in vaſis murrhinis, & ſinantur refrigerari ad uſum.

*Biſcoctum ex corticibus Citrii mali.*

℞. Cortic. citr. recent. flav. & alb. remotâ ſaltem parte acida ℔ j. bulliant per horam unam in aqua fontis, & detracto vaſe ab igne, ſinantur in infuſione per

per horas xxiv. in vaſe terreo: aqua effundatur, cortices linteo mundo optimè ſiccentur, terantur in mortario marmoreo in paſtam, addatur duplum ſacchari in aqua roſar. flor. arantior. & meliſſæ ſoluti; coque in Electuarium ſolidum, addendo ambræ griſeæ ℈ j moſch. orient. gr. v. magiſter. perlar. corall. rub. an. ℥ ſß. lapid. bezoar. orient. & occident. ſubtiliſſ. triti in porphyrite cum aqua meliſſæ lævigati, an. ʒ j. m fiant morſuli inſtar conſervæ roſar. ſolidæ: Capiat E. M. unum vel alterum mane pro jentaculo: prædictis ſuperbibat Rex cereviſiam limpidam & probè defæcatam, infuſionis pimpinellæ & ulmariæ, flor. borraginis, bugloſſi, ſummitatum meliſſæ.

*Syrupus Cardiacus.*

Caulis Angelicæ ſolo adhuc affixus, & ſuprema parte per tranſverſum ſectus, ſaccharo cryſtallino ſubtiliſſimo trito repleatur, bombace obturetur, tegatúrque putamine nucis, & poſt duos tréſve dies diſſolutum in ſyrup. ſaccharum effundatur in vas idoneum, & hoc

modo

modo ſufficiens ejus ſyrupi quantitas paretur, de quo cape ℥ viij. ſyrupi mororum rubi Idæi & de acetoſitate citri, an. ℥ iv. ambræ griſ. gr. vj. moſchi nodulo incluſ. gr. ij. olei ſulphur. q. ſ. ad gratam aciditatem: Servetur in ampulla obturata ad uſum, qui erit ſumendus mane ad ℥ ß. loco prædictorum prophylacticorum.

Aliquando comedat butyrum recens in pane extenſum cum foliis oxalidis & trifolii acetoſi cum pauco ſale, hauſtúmque cerevisiæ ſupradictæ cum herbis nominatis ſuperbibat.

Tabellæ hypoglottides.

℞. Boli Armenæ in aqua roſar. lotæ, ℥ j. terræ ſigill. Lemniæ & Strigonienſis, an. ℥ ß.
cornu cervi ad albedinem uſti ʒ x.
magiſter. perlarum
corallorum
oculor. cancri dulc. an. ʒ vj.
Oſſis de corde cervi ʒ iij.
fragmentor. hyacinthi
Smaragdi,
cryſtalli præparat. an. ʒ ij.

lapidis

lapidis contrayervæ dicti, qui cum herbæ ſucco in India præparatur ℥ ß.
Bezoar orient. & occident. an. ʒ j ß.
radicis zedoariæ
tormentillæ, an. ℈ v.
cortic. citri condit. ſaccharo ℥ ij ß.
Ambræ griſ. ʒ j.
moſchi optimi ℈ ß.

Omnia pulverizentur ſubtiliſſimè, & excipiantur mucilagine ſemin. cydonior. extractæ cum aqua roſar. & addito ſacchari duplo, fiat paſta, ex qua trochiſci lento calore ſiccandi in uſum ordinarium: teneantur in ore ſenſim deglutiendo, iſque diſſolvatur præſertim quoties E. M. loca ſuſpecta pertranſibit.

*Trochiſci Bezoartici.*

℞. Cryſtallor. acetoſ. ſylveſtris
trifolii acetoſi, ana. ℥ j.
Terræ Strigonienſis ʒ vj.
C. C. ad albedinem uſti
magiſterii perlarum
corallor. dulc. an. ʒ v.
Oſſis de corde cervi ʒ iij.

radicis

radicis contrayervæ
tormentillæ an. ℥ ß.
cordis & epatis viperarum debito tempore collectarum ʒ ij.
lapidis bezoart. orient. & occident. an. ʒ ij.
ambræ griſeæ ʒ j.
moſchi opt. ℈ ß.

Sacchari chryſtallini duplum pondus omnium: Fiat omnium alkool excipiendum mucagine ſemin. cydoniorum extracta in aqua meliſſæ vel roſarum, vel flor. arantior. fiat paſta, ex qua trochiſchi utendi ut ſupra, quorum portio poterit acui guttis aliquot olei angelicæ, vel ejus quod ex reſectis ejus caulibus maturis excidit ſine expreſſione.

### *Pomum ambræ.*

℞. Ladani puriſſimi ℥ iv.
benzoin
gummi carannæ
ſtiracis calamitæ ℥ iij.
ligni aloes
radicis angelicæ
zedoariæ an. ℥ ß

calami

calami aromat. ℥ j.
ligni Rhodii,
ſantali citr.
Juniperi,
cedri, ana. ʒ vj.
flor. lavendulæ, ʒ ij.
cortic. citri,
arantiorum,
flor. Ireos,
majoranæ, ana. ʒxij.
garyophillor. ʒ vj.
ambræ griſ. ℈ iij.
moſchi opt. ʒ j.

Terantur ſubtiliſſimè reſinæ in mortario calido, contundantur, miſceantúrque omnia, & fiat addita ſuffic. quantitate balſami Peruviani, paſta; ex qua formentur pilæ geſtandæ ut odorentur.

*Liquor Peſtilentialis odorandus.*

Quoniam Rex ab olfactu aceti abhorret, præparanda aqua odoranda ſequens ad ſpecierum infuſionem.

℞ Flor. Ireos ℔ j.
fol. majoran, man. vj.
thymi vulgaris

Serpilli, an. m. iij.
ocymi, man. iij.
meliſſæ, man. v.
Salviæ,
roriſmarin.
lauri, an. m. ij.
flor. Sambuc. p. vj.
roſar. rubr.
veronic. rubræ,
geniſtæ Hiſpan.
ſyringæ, an. pug. viij.
raſuræ ligni cedri, ℥ vj.
cinnamomi, ℥ vj.
vini Canariæ generoſi, ℔ vj.
Aquæ roſ. ℔ xviij.

Omnia ſimplicia quàm recentiſſimè ponantur in vas duplex, & affuſis liquoribus, fiat in balneo per refrigeratorium diſtillatio, ut artis eſt.

℞. Radicum petaſitidis,
enulæ,
gentianæ, an. ℥ iv
corticis Vinterani, ℥ iij.
radicis angelicæ,
valerianæ maj.
imperatoriæ,

Carlinæ, an. ℥ ij.
ligní Rhodii,
juniperini,
calami aromat.
galangæ,
zedoariæ, an. ʒ x.
fol. ſiccor. ſcordii,
meliſſæ,
thymi citrati,
Salviæ,
majoranæ,
roriſmar. an. m. j.
rutæ, man. ij.
malabat.
dictamni Cret. an. ℥ ſß.
florum Sambuci, an. pug. iv.
lavendulæ ,
Stœchad. utr. an. pug. ij.
corticum arantiorum,
citri flaveſc. an. ℥ ij ſß.
garyophyllorum ʒ ij.
nucis moſchatæ,
macis, an. ʒij.

Omnia conciſa & tuſa irrorentur vino malvatico, dein ponantur in lagenam lapideam, iiſque affundantur

aquæ diſtillatæ præſcriptæ ℔ viij.
aquæ roſarum
flor. Jaſmini
arantiorum an. ℔ ij.

Ponantur in fimo vel balneo per quatriduum; mox fiat colatura portionis alicujus iſtius liquoris in uſum præſentem pro Rege: Qui liquor magis odoratus reddatur, addito nodulo continente gr. aliquot ambræ & moſchi.

Hoc liquore imbutæ ſpongiæ, includantur pyxide eburnea perforata, quæ utique à Domino circumferatur.

Magmati affundi poterit acetum, & fieri nova infuſio pro aulicis, additâ majori quantitate florum lavendulæ, cortic. citri & caryophyllor. Addantur etiam theriaca & Mithridatium, ut fiat acetum theriacale.

### *Suffitus humidus pro Cubiculo Regis.*

℞. Ireos Florentinæ ℥ vj.
radic. enulæ
angelicæ an. ℥ iv.
corticis vinterani

ſtora-

ſtoracis calamit. an. ℥ iij.
cinnamom. interior. ℥ j.
calami aromat. ℥ ij.
ligni Rhodii
  juniperini an ʒ j ß.
cortic. citri flavi
benzoes an. ℥ v.
zedoariæ,
galangæ an. ℥ xij.
folior. ſicc. majoranæ
  ſalviæ
  roriſmarin.
  thymi an. man. ij.
flor. lavendulæ, pug. vj.
caryophyllor. ʒ x.

Omnia contuſa & conciſa, ponantur in vas lapideum affuſis aquæ roſar. opt. ℔ x. cum aceti acerrimi ℔ ij. vas quarta ſui parte vacuum ponatur in M. B. & ſinatur fieri infuſio per tres dies, dein reponatur in uſum: Dum fiet infuſio, vas claudatur veſica bubula, hoc liquore in laminam ferream candentem projecto, fiat quotidie ter quatérve ſuffitus in cubiculo Regis, vel cum eodem fiat

quod dicitur Caſſoleta, eo in cameræ angulo ebulliente; tunc autem poterunt addi magis odorata, ut benzoin, ſtorax calamita, ambra griſ. vel hic liquor infundetur in Caſſoletam Hiſpanicam globo argenteo contentam, & fiat ut artis eſt ebullitio.

*Suffitus ſiccus pro conclavibus Aulæ.*

℞. Ligni Rhodii,
juniperin.
cedrini,
abietini, an. ℥iv.
maſtiches,
thuris,
Sandarac.
Colophon. an. ℥ iij.
gummi guaiaci, ℥ iij.
balſami ſicci,
gumm. Carannæ,
ſtoracis calam. an. ℥ iij ſß.
benzoin, ℥ x.
roſar. rubrarum
corticis Vinterani,
cinam. interior. an. ℥ ij ſß.
m. omnium fiat pulvis craſſiuſculus,
cujus

cujus portio aſpergatur prunis ad ſuffitum.

Prædictis ſpeciebus ſi addantur ſuccini ʒ ij, vel ʒ iij, etſi non ſit adeo gratus, efficacior tamen erit.

*Trochiſci pro ſuffitu induſii & veſtium Regis.*

I. ℞. Roſar. Damaſcen. poſt Solis ortum collect. ℔ ſß. benzoini, ℥ ij.
m. f. longa in mortario trituratione paſta, ex qua formentur trochiſci in umbra ſiccandi.

℞. Iſtorum trochiſcor. in pulver. redactor. ℥ j.
moſchi, gr. j.
zibeth, gr. iij.
balſami Caraman. ℈ ſß.
fiat cum aq. roſar. & pauco gumm. tragac. troch. ſiccandi, & in pyxide clauſa, reſervand. ad uſum matutinum.

II. ℞. Trochiſc. de roſis, ℥ vj.
pulver. benzoini, ℥ ij.
moſchi, gr. j.
zibethæ, gr. xvj.
aq. roſar. q. ſ. f. maſſa.

III. ℞. Pulv. ſubtiliſſ. ligni juniper.
Benzoini an. ℥ vij.
moſchi ℈ j.
aq. roſar. cum mucilag. tragac. q. ſ.
f. maſſa.

Aqua Angeli ſi irrorentur ſtrophia, bene erit, hujus autem aquæ reſidentia incorporabitur pro paſtillis ad ſuffitum, & cubiculi & induſii & aliarum veſtium.

*Aqua Angeli.*

℞. Lignialoës
ſtoracis calam. an. ℥ ß.
benzoin ℥ iv.
nucis moſch.
ſantal. citr.
caryophyll. an. ʒ ij.

Coquantur in aqua roſac. ea quantitate quæ ſupernatet 4. digitis vaſe clauſo, lento igne, per diem & noctem in cineribus vel arena; f. colatura: cui adde
aquæ roſac. opt. ℔ iij.
florum arant.
jaſmini
moſchi, ℈ j.

Ex

Ex magmate calente formentur paſtilli.

*Balſamus ad Nares.*

℞. Balſami Peruviani ℨ iij.
olei angel.ſtillat. vel ſi habeatur ex caulibus reſectis decidui
de cortic. citri ana, ℨ ij.
roriſmarin.
juniper. ſtillat. an. ℨ j.
roſar. ſtillat. an. ℨ ſß.
butyri arantior.
jaſmini opt. an. ℥ ſß.
ambræ griſ. ℈ iv.
moſchi orient. ℈ ij.
zibeth. ℈ ij.

Omnia ut decet, miſceantur lævigando in porphyrite, & f. balſamum inungendo mane antequam Rex exeat.

Oleum ſuccini ſæpe cum ſpiritu vini recenti rectificatum optimum.

Oleum de ſcorpionibus Matthioli efficax: Si Dominus concionem auditurus, vel hominum catervam admiſſurus, eo ungat pulſus & regionem cordis.

Victus ratio ſit refrigerans & exſiccans, aër mutetur, & turba abigatur.

Præter

Præter iſta prophylactica ad præſentis mali curationem teneantur parata ſequentia.

Aqua theriacalis deſcripta in Pharmacopœa Londin. p. 12.

Antidotus Saxonica vera.

Electuarium de ovo, vegetabile ac minerale.

Pulvis rubeus Pannonicus alter Pharmacop. Auguſtan. p. 114.

Pulvis griſeus Cæſaris, ibid. p. 3.

Species liber. ib. p. 137.

Diaſcordium magiſtrale Mayernii.

Diaſcordium Fracaſtorii.

Theriaca Andromachi.

Londinenſis antidotus, p. 91.

Mithridatium Damocratis.

Confectio Alkermes.

Conf. Hyacinthina.

Salia Petaſitidis,
Ulmariæ,
cardui bened,
actes,
rutæ,
ſcordii,
juniperi,

Oleum

Oleum è ſcorpionibus Leonis Pontificis.

Species ad emulſionem ex ſemin. citri, napi & lactis perlarum.

Purgantia iſta ſint in promptu.

Tryphera Perſica Meſuæi, vel Johannis Damaſceni, Pharm. Auguſt. p. 56.

Pilulæ Rufi.

maſtichinæ Fernel.

Grana angelica cum herbis cardiacis.

---

CONSI-

# Conſilium Galliarum Regi oblatum contra Peſtem.

*Gallicè conſcriptum.*

## Pars curativa.

SImplicis peſtis, unius nulla alia febris comes eſt; hæc ſunt indicia, pulſus exiguus, languidus, exilis, inæqualis: Virium debilitas, leipothymiæ, vomitus & anxietas; Calor nihilominus adeò modicus eſt, ut febris inſenſibilis ſit: Nulla adeſt ſitis, nullus dolor, urinæ quales bene valentium: fato tamen ægris cedentibus in iſta morbi lenitate, contra opinionem & ſpem.

Si Peſtis putridam febrem adjunctam habeat, hæc aderunt ſymptomata, acutiſſimus capitis dolor, ſopor, delirium, anhelitus, fœtor cum dyſpnœa, ſitis inextinguibilis, anorexia, vomitus urgens, æſtus internorum viſcerum, cum refrige-

rati-

ratione extremorum, urinæ turbidæ, confuſæ, flammeæ, alvi excrementa ſummè fœtent.

*Si Peſtis ſimplex ſit, in uſum ducatur hoc compoſitum.*

℞. Ovum recens, effuſo albumine, repleatur croco, aſſetur ſub calidis cineribus, dum indureſcat penitus, tum ablato cortice teratur addendo

dictamni albi
tormentillæ
angelicæ
baccar. juniperi an. ℥ ij.
caphuræ gran. iij.

Miſce omnia in mortario cum optima terebinth. vel Mithridato veteri ad pondus omnium.

Aſſumantur grana xx cum ana. aquæ fontanæ & vini albi, ter doſin iterando intra horam, ſi contingat à ventriculo per vomitum expelli: demum illico hora elapſa injiciatur enema ſimplex, ad excluſionem fœcum, quibus ſæpe contagium inhæret: quo rejecto, protinus ſudor ciendus exhibita aqua ſequenti.

℞.

℞. Radicum acetoſæ,
dictamni albi,
gentianæ,
tormentillæ,
baccar juniperi, an. ℥ ß.
ſemin. cardui bened.
citri, an. ʒ ij.
mithridat. veter. ℥ j.
raſuræ ligni Sancti, ℥ ij.
aquar. oxalidis,
ulmariæ,
card. bened. an. ℔ j.

Infundantur ſpatio 12. horar. ſuper cineres calidos, tum diſtillentur in M. B.

Aſſumantur aquæ dictæ unciæ duæ vel tres, cum ℥ ß ſyr. limon. ſuſtinendo ſudorem per horas 5, aut 6. pro virium tenore, vitato ſomno dum ille erumpit, ægro interim præbendo ſugendas citri taleolas in frigida infuſas, baccas oxyacanthæ, ceraſa elota, quo frigeſcat os, & ſimilia.

Sic corde munito, vacuatis excrementis, ac veneno per hydrotica expulſo, porrigentur ægro juſcula ex oxalide, lactuca, cichorio; condientur cibi ſuc-

co

co acetoſæ, arantiorum, limonum; crebro porrigatur alimentum; ſed paucum, ne oneretur ventriculus: liberalior potus concedendus, cum noxia ſit ſitis; exhibeatur fontana cum liquiritia & plurimis citri taleolis infuſis, non intercedente coctione aut ebullitione: Judicio tamen noſtro vini uſus concedendus eſt, non obſtante calore, ad tutelam cordis quod crebris leipothymiis exolvitur: Vinum verò debile ſit, tenue, auſteriuſculum pro febris gradu, ſi præſertim ægro arrideat.

Paucus ſit ſomnus, ac ſingulis horis temperandi æſtus gratia os colluatur aqua vel ſimplici, aut vino pauculo diluta: ægro interea hilaritas concilianda, ſpe ſanitatis illum fovendo, cum ejuſmodi in morbo mœrore & timore nihil æquè pernitioſum ſit.

Demum æger in loco ſereno degat, aëre recenti crebrò per portas & feneſtras admiſſo, quæ præſertim Septentrioni obverſæ ſint: Illis remediis, unà cum diæta, ſic uſurpatis, eximium à quibuſdam cenſetur axillas & inguina

oleo ſcorpionum aut liliorum inungere, addita theriaca; ídque iteratis vicibus, eliciendi veneni gratia, cor eo pacto ab eo vindicando.

Neceſſaria non videtur ſanguinis miſſio, niſi adjuncta ſit febris putrida peſti, cum intenſis doloribus, inflammationibus, anxietate, dyſpnœa, vigente plethora, aliíſque ſimilibus accidentibus repletionis ſobole; mittendi ſanguinis copiam non tam ex ubertate ejus quam virium tenore dimetiendo ac ægri robore: quod indicationum medicinalium canon ac norma generi eſto.

Paucis, quibuſcunque mediis malo obviam eundum, illud a limine oppugnando, antequam confirmetur & radices agat: Initium fiat à potione cardiaca, ter eam intra horæ ſpatium præbendo, ſi ventriculus reſpuat: Eodem tempore injiciatur enema, ac citò fiat ſanguinis miſſio, niſi quid obſtet, exhibita paulò poſt aqua ſudorifica; ita ut in intervallo horarum ſex ejuſmodi præſidia & remedia adminiſtrentur:

Pro-

Procraſtinata venæ ſectio inutilis eſt, cum eam omittere præſtet quam in uſum ducere exoriente Bubone: Pernitiem intentat, non medetur, qui id præſtat.

*Ad Bubonem.*

Plurimi ſola ſcabioſa decocta utuntur, contrita & in formam cataplaſmatis deducta, additâ axungiâ porcinâ: Ab eximia qua pollet vi in ejuſmodi affectu, nomen Bubonis curatricis (chaſſe boſſe) adepta eſt: Illi cataplaſmati quidam addunt liliorum bulbos aut cæpas ſub cineribus coctas, quibus contuſis ovorum aliquot vitelli, fimus columbinus, ac fermentum adduntur, omnia ſimul olei liliorum, q. ſ. ſubigendo; poſtmodum calidè admovent, alternis horis renovando: Singulæ olei unciæ theriacæ drachma adjiciatur.

*Ad Carbunculum.*

Eam in rem ſatis eſſe poſſet ſola ſcabioſa vel acetoſa, ſub cineribus coctæ cum ovorum vitellis & butyro recenti forma cataplaſmatis, ſingulis horis removendo; malvæ folia, althææ, parietariæ.

*Cætera deſunt.*

M Conſilium

# Conſilium pro Guttu-ris conſtrictione à vapori-bus Melancholicis ex hypo-chondriis elatis.

## Dom. Bouvardi Ludov. XIII Galliarum Regis Archiatri.

*Gallicè datum.*

EX enarratione compreſſionis Gutturis nequaquam fixæ & ſtabilis, non continuæ, citra ulcus, tumorem & inflammationem: Et perceptionis agitationis in hypochondriorum regione, è qua vapores acres & calidi efferuntur ad guttur uſque, canalem & tubum camini, in cujus extremo malum aliunde profectum eluceſcit, non ſecus ac acris pituita pinnas narium exulcerans, & bilis podicem inflammans & vellicans in dyſenteriis, quanquam malorum illorum cauſa aliis in locis pelitеſcat. Ex iſtimamu

iſtimamus affectum hunc ſymptoma tantum eſſe cauſæ internæ, hypochondriorum ſcilicet jecoris aliarúmque adjacentium partium inſigni intemperie calida & ſicca affectarum, ob quam adſtringitur alvus, fitque raptus omnium humorum tenuium & feroſorum in venas, cæſpitante copia bilis aliorúmque humorum craſſorum in primis meſenterii venis & viſcerum naturalium cavitatibus.

Hoc poſito fundamento, facile eſt per diætam & generosè refrigerantia & humectantia ac evacuantia opem ferre: Quod ſi ex voto valetudo non ſtatim conſequatur, non ideo ceſſandum à remediis: Intelligenti Medico verbum; Diætam ipſe ſibi præſcribat, per generoſa refrigerantia, ſciat is me intelligere aquas minerales debiliſſimas; quales ſunt Monfrenenſes, ſemel aut bis in anno uſurpatas: Per evacuantia, audio ſanguinis miſſionem è brachio ſat frequenter celebratam: Ptiſanas laxativas ex Caſſia & Senna: Alias purgationes leviores ex iiſdem cum ſyrupis

roſarum & florum Perſicorum: Balnea univerſalia ex aqua dulci temperata, Lactis uſum, ejuſdem ſerum purificatum, infuſa fumaria; lac aſininum ubertim hauſtum; pergendo in horum uſu pro vehementi & habituali morbi contumacia, quod aliàs proculdubio incrementum capeſſeret, gravioráque ſymptomata induceret.

*In eodem Affectu.*

## Domini de Arduynes de S. Jaques Medici Noſodochii Charitatis Pariſienſis.

*Gallicè datum.*

COmmunicatio nobis eſt facta affectus quo laborat Dom.N. qui,meo judicio ſoboles eſt intemperiei viſcerum nutritioni deſtinatorum, è quibus copia vaporum in caput aſſurgit, qui deinceps in guttur & partes adjacentes decumbunt: partes revera affectæ ſunt interſtitia muſculorum laryngis & oſſis yolis.

Ad curationem hujus mali, convenit frequens purgatio & iterata, inſtituenda per ptiſanam uſualem ſequentem.

℞ Ptiſanæ communis ex radice cichoris paratæ & floribus bugloſſi libras duas: in quibus infunde folior. oriental. ℥ ij. Fiat colatu-

ra & paretur ptiſana, de qua ſumat duos vel tres cyathos in die, unum jejuno ventriculo, alterum paulò ante meridiem, tertium circa quartam pomeridianam.

Peractâ hâc purgatione, in cujus uſu pergendum per quinque aut ſex dies, tundenda eſt primò baſilica dextra, poſtmodum ſiniſtra: Huic ſanguinis miſſioni ſuccedet balneum per ſeptem aut octo dies: Cætera remedia topica, inutilia omnino ſunt, ut olea & cataplaſmata ex nidis hirundinum; peractis enim prioribus remediis ſanitas ſuccedet: Si tamen aliquid ex iſto affectu ſuperſtes ſit, facile erit cauſæ ejus ſpecificæ proſpicere; hoc verò in caſu de ſucceſſu monebimur.

## Ejuſdem pro eodem.

*E Gallico in Latinum.*

EX ſcheda ad nos tranſmiſſa in qua recenſentur ſymptomata Dom. N. affligentia, colligere licet mali aliqualem

lem imminutionem accidiſſe, atque id oriri à vaporibus in caput conſcendentibus per gutturis vias: quorum vaporum cum minor ſit copia & ſiccitas, hinc tanta non ſequitur ac ante partium diſtenſio: ſed è contra intra primam regionem iiſdem coercitis, major inde quam prius hypochondriorum ſequitur diſtenſio: hinc oritur affectionis ſpecies quam melancholiam flatulentam vocamus, multo jam levior: Nec refert inquirere adsitne phlogoſis aut inflammatio illis in locis. Certiſſimum enim hoc, ubicunque latet humor melancholicus atrabilarius, ibi ſemper adeſſe quoque intemperiem conjunctam; Ratio eſt quod vaporum præſentia ſupponat calorem, qui ejuſmodi vapores ſuſcitet.

Ad hujus autem affectus curationem, remediis jam præſcriptis inſiſtendum, pergendo in uſu ſequentium.

Initium fiat à venæ ſectione, niſi jam peracta fuerit, ac primo ferienda baſilica, poſtmodum ſaphæna, intermedio tempore uſus ſit continuus ſe-

micupii, cui inſidens aſſumat æger ſcorzoneræ decoctum, admiſto ſyrupo pomorum ſimplici, non omiſſa pimpinella: Tertio aut quarto die ab encathiſmate, modo ſequenti purgatio erit facienda.

℞. Decoctionis prædictæ, ℔ j. in qua infunde folior. oriental. ℥ j. In colatura diſſolve pulpæ caſſiæ mundatæ ʒ ix. fiat iterum colatura, & fiat apozema in tres doſes ſine ſyrupis; addendo ſingulis doſibus ſyrupi de epithymo ℥ j. & fiat apozema ſumendum in balneo.

Poſt celebratum balnei uſum, admovebuntur hirudines ani margini: Et poſtea fiat inſeſſus, pelvi aqua calente plena ſuppoſita, ut ſu citentur hæmorrhoides: quæ ſi, naturâ duce, poſſent apparere, bonum erit omen. Et poſtea perſeverandum in uſu remediorum alterantium, addendo radicem capparum, atque lignum tamariſci, híſque ita ritè exactis, quomodo ſe habeat æger tunc nobis renuntiabit.

*Uſu acidularum & vini chalybeati paulo poſt reſtitutus æger.*

# CONSILIUM

## In Epilepſia.

### Pro Nobili Virgine Anonymi Medici.

*Gallicè datum.*

QUamvis morbus Nob. Virginis, Epilepſiæ nomine, indigitandus ſit, confirmatæ & radicitus infixæ, quæ plurima jam eluſerit remedia, futurum tamen ſpero, ut Deo benedicente, ab illa liberetur progreſſu temporis, chronicorum morborum ſummi Medici; atque ætatis mutatione, necnon temperamenti (quæ annis climactericis obtingit, ſeptimo ſcilicet quoque anno, ope innati caloris, magis ac magis vegeti redditi) ſuperetur vitioſa illa diathesis; ubi præſertim ſtato tempore natura corpus puellæ ab immunditiis repurgabit, familiari ſexui fluore ſuperveniente;

niente: Id vel magis ſperare licet, quod qui præſentes invadenti paroxyſmo adſtiterunt, ſignáque præcurrentia adnotarunt, idiopathicam eſſe negant, imo potius per ſympathiam productam aſſerunt, hoc eſt, à cerebro malè conſtituto ejus originem non eſſe arceſſendam, ſed omnino à partibus inferioribus, & præſertim viſceribus (quibus per affinitatem conſentit cerebrum) è quibus craſſi vapores ſurſum aſcendunt, ſomni maximè tempore, quos calor ad interiora tunc irrepens, ſuſcitat è propria minera: Manifeſtum id ex dolore in parte ventris ſuperiore ante paroxyſmi inſultum percepto, turbulentiſque inſomniis illum antecedentibus, viſcerum à vitioſis humoribus infarctum indicantibus, accedente forſan lumbricorum minerâ, ætati illi familiari; vapores primùm fundente, terrifica illa inſomnia ſuſcitantes, poſtea inſultum Epilepticum, obſtructo ſpirituum animalium commeatu, hinc ad tempus eorum actione interceptâ, donec ſcilicet diſſipentur illi vapores, aut ad partes inferiores tranſmittantur.

Jam

Jam cum mea ſententia pravi illi humores & vitioſa minera, rebellis illius & moleſti morbi cauſam primitivam & antecedentem conſtituant, ſperare quoque licet ad illius ſublationem cum tempore ſubſequturam effectus remotionem, juvante Divinâ benedictione: Eóque magis quòd omnia ex methodo fortè præſcripta non fuerint, nec præſertim in uſum ducta remedia Chymica, quorum ope morbi pertinaciſſimi ſuperantur, quæ rectè in uſum ducuntur præmiſſis levioribus.

Curationis primus ſcopus erit corporis ſentinam expurgare ope medicamenti emetici & purgantis notati A, propediem aſſumendi ex dupla juſculi quantitate, horæ ſpatio deambulando ut in actum erumpat, identidem aſſumptis juſculi ſupra teporem calidi, aliquot cochlearibus ubi nauſea acceſſerit, quo vomitus facilior fiat: Si fortè medicamento operante paroxyſmus Epilenticus ingrueret, terrori is eſſe non debet, cum effectus ſit commotionis hu-

humorum ab illo agitatorum, qua deſinente deſinet & ſimul acceſſio.

Secundus eſto, morbificos illos humores apparandi præſcripto cum in finem decocto, ſignato B, cujus aſſumendus hauſtus ſex ex ordine diebus, mane, horis duabus ante prandium.

Tertius occurrit, humorem ſic præparatum purgatione excludendi,, potionis forma, literá C notata: haurietur illa horis duabus ante juſculum liquidiſſimum; bihorio poſt concedatur prandium, domi interim toto die ſe contineat.

Quartus ſcopus erit, Vapores illos paroxyſmi Epileptici authores, alio traducere, excitato in loco convenienti fonticulo, tibiæ ſcil. parte domeſtica. Procuranda demum indeſinens excrementorum cerebri evacuatio, quæ juncta vaporibus ab imis partibus elatis, ad horum appulſum liquata, malum intendunt, demum liquefacta, per guttur delabentia, prius a cerebro expreſſa, ſtertorem in pectore pariunt, ante & poſt paroxyſmum manifeſtum: quam cerebri liberationem ab excrementitiis

illis

illis humoribus conſequemur alio fonticulo in cervice parato, quem ſemeſtri exacto occludi patiemur, altero in brachio excitato ſi ſcopus fuerit.

Quintus ſcopus ſpecifica ſpectat, cerebri robori deſtinata litera D ſignata, quorum uſurpatio Pharmacopœi arbitrio committitur.

Sin morbus remediis obluctetur, ad efficaciora tranſitus fiet, Chymica nempe, præſtantiſſimis hujus ævi Medicis familiaria, D. D. Quercetano & de Mayerne, indigitata à litera E.

Nec non ad uſum fimi pavonis, quem ſpecificum hujus remedii remedium cenſeo.

Si protrahantur paroxyſmi, exhibendum cochlear unum vel alterum aquæ hirundinum Rondeletii, imo aquæ benedictæ Rulandi: atque ad inciſionem phlegmatis ſtertorem inducentis, præberi poterit cochlear unum oxymelitis ſcyllitici cum olei amygdalini pari quantitate.

His remediis accedat exacta vitæ norma, probis ingeſtis alimentis: Prandium

cœna

cœna largius eſto, quæ decubitum longè præcedat, lentè poſtea deambulando quo facilior ſit concoctio: Temperet ſibi ab alimentis omnibus calidioribus, condimentis, aromatis, leguminibus, radicibus paſtinacæ, braſſicis capitatis, alliis, cæpis, porris, caſtaneis, aliiſque flatulentis aut vaporoſis, vel difficilis concoctionis: Quoad potum, abſtinentiam à vino probo omninò, ad aliquod tempus, cum ejuſmodi morbi incentivum ſit eximium: cujus vice utatur decoctio radicum Chinæ, pæoniæ, pauci calami aromatici, & aliquot betonicæ foliorum: Vitet crepuſculum, omnéſq; externas aëris injurias; caveat à violento exercitio; animi paſſiones, præſertim metus & mœſtitia declinentur, quantum licebit.

## *Medicamentorum deſignatorum ſeries.*

℞. Croci metallor. ritè præp. gr. vj.
vini albi ℥ j ſß.
cinnamomi gr. xv.

ſiat

fiat infuſio per noctem, poſtea adde
ſacchari ℥ ſs.

Coquantur ad conſiſtentiam ſyrupi dilutioris, utatur ut præſcriptum, ſigna A.

℞. Radic. polypodii
cichorii
ſcorzoneræ
cortic. tamaricis
rad. pæoniæ, ana ℥ ſs.
folior. betonicæ
chamædr.
fumariæ, ana. man. ſs.
flor. lilii convallii
ſalviæ
hyſſopi
bugloſſi
primulæ veris odor.
folior. ceterach. an. pug. j.
calami aromatici
viſci quercini, ana ʒ j.

Bulliant in ſ. q. aquæ per bihorium, prius diem integram infuſa, poſtea colentur, & cum ℔ ij. ſacchari dulcorentur, ac cum ovi albumine clarificentur. Notetur B.

℞.

℞. Fol. Sennæ mundator. ℥ ij.
agaric. trochiſc.
cortic. ellebor. nigr. an. ℈ ij.
ſemin. aniſi ʒ j ſß.
ſalis Tartari ℈ j.
ſpir. vini gutt aliquot.

Infundantur per noctem in decoct. ſuperioris ℔ ſß. ad cineres calidos: In expreſſionis ℥ iv. diſſolve.

ſyrup. de pomis cum ſenna Regis. Sapor. ℥ j.
cathol. opt. pro ore ʒ ij.
Notetur litera C.

Si non ſatis operata fuerit hæc purgatio, iteretur die ſequenti, addendo confect. Hamech ℈ iv.

℞. Pulver. de Gutteta Monſpel. ℥ j.
viſci querni
raſuræ cranii hum: an. ʒ ij.

Miſce, fiat pulvis, cujus capiat ʒ ſß. vel etiam ℈ ij. cum ſacchari ℈ j. & ſuperbibat cochlear unum vel alterum Aquæ Epilepticæ Langii, aut Aq. Epilepticæ hirundinum Rondeletii, Signa litera D.

Utetur ſingulis matutinis horis 2 ve

vel 3. ante prandium: horis verò veſpertinis & quidem eundo cubitum, capiat morſulum ſequentis conditi, ſeu etiam ʒ ij. vel etiam ℥ ß.

℞. Conſerv. roſar. ſolidæ ℥ jß.
cuticulæ citri
flor. beton. an. ℥ ß.
pulv. prædicti de Gutteta Monſpel. ʒ ij.
corallii
ſuccini alb. præpar. an. ʒ j.
ſacchari ad pondus omnium.

℞. Aquilæ albæ Quercetani, *i. e.* Mercurii dulc. ſexies aut ſepties meteoriſati gran. xv.
reſinæ ſcammon. gr. v.

Involvantur cum pauco pomo coctò & ſumantur ex arte. Notetur hoc remedium lit. E.

His remediis ad normam mei præſcripti utetur, ut & fimo pavonino, neceſſitate urgente & idoneo tempore, quod deſignaturus ſum.

Illud verò mihi excidit, quo ſcil. major fiat diverſio humoris morbifici, ab exhibita purgatione, notata lit. C,

aliquot ſanguinis uncias è vena tumentiore prope malleolum alterutrius pedis, mittendas eſſe: Ac peractâ hâc ſanguinis miſſione, duos excitandos eſſe fonticulos. E re quoque erit, ut proba fiat concoctio, ac reprimantur vapores, poſt ſingulos paſtus aſſumere cochlear unum ſequentis pulveris digeſtivi.

℞. Panis biſcocti ℥ j.
pulver. coriandri
ſemin. carvi, ana. ʒ iij.
roſarum rub.
corall. rub. an. ʒ ß.
ſacchar. ad pondus omnium.
M. F. pulvis pro uſu dicto.

Remedium Chymicum conſtans ex Aquila alba Quercetani, aut reſina vel extracto Chymico Scammonii, cum ſpiritu vini parati, juxta Schroderum, Calomelanos eſt Turqueti: Singulis menſibus, ante quódque novilunium renovandum erit aucta vel imminuta doſi reſinæ ſcammonii, prout plus aut minus operabitur, aut aquilæ albæ doſi.

*His ad amuſſim obſervatis, à malo graviſſimo liberata eſt Nobilis Virgo.*

INDEX.

# INDEX.

## A.

### Acidulæ.

AN utiles in Gonorrhœa 137
An in Arthritide 124

Aer

calidior phthiſicis conducit 54, 58

Alvus

debet eſſe libera arthriticis 18

Anodyna

uſus in arthritide 33

Anus

fiſtulæ occluſio 84
ejus dolor non ſemper adeſt proſtatis affectis 236

Apozema

melancholiam præparans 77
pituitam præparans in cerebro 185

Aqua

pro potu ut emendanda 14
reſumptiva 98

*Angeli in peſte* 162

Arthritis

*an incurabilis* 1, 13
*eſt morbus gravis* 2
*cur non curetur* ibid.
*definitio* 9
*an detur calida aut frigida* ibid.
*cauſa à ſale* 10
*origo eſt in ventriculo* ibid.
*non omnis articulorum dolor eſt arthritis* 11
*vaga* ibid.
*præcautio* 13, 14, 15, &c.
*diæta* 13, 14, 15, 16, 17, 25
*purgatio* 23, 29
*curatio* 26, 30, &c.
*articulos roborantia* 37
*Sang. miſſio an conducat* 42
*arth. & calculus morbi congeneres* 123
*tophacea incurabilis* ibid.
*acidulæ an utiles* 124
*dolores quomodo mitigandi* 9
*nimis accurata diæta an utilis* 25
*in paroxyſmo quomodo ſuccurrendum* 26
*abſorbentia humores* 32
*anodyna* 33

Balſamus

B.

Balſamus

*Veſpertilionum* 82

*cardiacus* 163

Bilis atra.

*origo & damna* 37

*veneno ſimilis* 69

*ejus præparatio* 79

*purgatio* 80

Biſcoctum

*Ex cortice mali citrii* 150

Bubo

*peſtilens* 171

C.

Calculus

*Præcautio* 123

*affinitas cum arthritide* ibid.

Calor

*volæ manus & plantæ pedum unde* 68

Camphora

*Vis anodyna* 34

Carbunculus

*peſtilens* 171

Caruncula, *vide* Penis

Cataplaſmata

*quando noxia* 34

*anodynum & maturans* 106
*detergens & putredinem ſiſtens* 107

Cauteria

*efficacia in arthritide* 33
*in phthiſicis ubi apponenda* 50, 64
*in ſcapulis* 82

Cerebrum

*humoribus gravatum, quomodo liberandum* 70
*roboratio in phthiſicis* 51

Cereviſia

*calculum parit* 14

Chalybs

*efficacia in affectibus melancholicis* 73

China

*ejus decoctum in phthiſi* 61

Conditum

*cephalicum in epilepſia* 187

Cornu cervi

*gelatina ex eo* 149

Crocus metallorum, *vide* vomitoria.

D.

Decoctum

*Traumaticum* 109

Diæta

*Sudorifica utilis poſt abſumptam virgæ carunculam.* 142

E.

Elementa

*Chymicorum in microcoſmo.* 5

Epilepſia

*ab imo ventre ſigna* 180

*indicationes curativæ* 181

*ſpecifica* 183

*diæta* 183

F.

Fiſtula

*Ani quomodo cicatriſanda* 74, 75

Fimus

*pavonini uſus in epilepſia* 183

Frictiones

*utiles in arthritide* 17

Furfures

*in urina an ſemper ſignum ſcabiei veſicæ* 134

G.

Gargariſma

*pituitam è capite trahens* 146

Gonorrhæa

*an quod ſtillat ſemper ſit ſemen* 135, 139

*ſpiritus terebinthinæ uſus* 137

Guaiacum

*ejus decoctum phthiſicis utile* 61

## H.

Hæmatites
*Vires in hæmoptyſi* 62
Hæmoptyſis
*quæ vena aperienda* 64
*Remedia* 64, 65
Hydromel
*medicatum in phthiſi* 52, 60
*arthriticis prodeſt* 14
Humores
*ſal in ſe continent* 4
Hypochondria
*fotus pro iis obſtructis* 76
Hypochondriaca affectio
*quæ vena ſecanda* 71
*remedia* 173
*ſigna* 177
I.
Iſchuria
*remedia* 120, 125
Julepus
*cardiacus* 99
Juſculum
*medicatum in peſte* 148
L.
Lac
*vaccinum in phthiſi* 61
*aſinini dotes* ibid.

Laudanum opiatum
*conducit arthriticis* 35
Liquor
*odorandus in peſte* 155
M.
Medicamenta
*Peſti congrua* 165
Melancholia
*ejus ſigna* 70
*levia remedia reſpuit* ibid.
Mercurius
*dulcis optimum purgans* 24
Morbi
*tartareorum cauſa* 8
*hæreditarii, accidentarii* ibid.
*ejus ſymptomata alibi quam ejus cauſa* 176
N
Narcotica
*vires in arthritide* 35
Nephriticum lignum
*ejus decoctum in phthiſi* 61
Nitrum
*arthriticis conducit* 24
O.
Os
*ſiccitatis oris cauſa* 68, 72

*quomodo*

*quomodo emendanda* 72, 81
Oſſa
*uſus in arthritide* 32
P.
Paralyſis
*Spuria curatio* 73, 82
Parotis
*pertinax quomodo ſuperanda* 94
Paſtillus
*Bezoarticus* 100
Penis
*materia alba & viſcida ante urinam excreta, unde* 111, 116
*pruritus doloroſus in urinæ excretione* 112, 115
*tuberculum curatum* 108
*Carunculæ ſigna* 133
*cauſæ* 139
*in curatione mora utilis* 141
*fotus anodyni an utiles* 137
*eâ ſanatâ, nihilominus debilitas remanet in parte* 113
*an per os ſumpta curabilis* 135
*topica, qualia eſſe debent.* ibid.
*cautio in cereolorum immiſſione* 140
*ulcus ab ea ſuperſtes curatu difficile* 141
Perinæum

Perinæum
*ulcerati curatio* 109
Peſtis
*Curatio* 166, 167, 170
*vena an ſecanda* 170
Phlegmone
*Perinæi* 105
Phthiſis
*hæreditaria vix curabilis* 48, 56
*indicationes curativæ* 49
*remedia* 51
*diæta* 54
*phthiſicus aeris in calidiorem mutatione ſanatus* 59
*cathartica fortia nocent* 64
*venæ ſectio qualis* ibid.
Podagra
*quæ ſanabilis* 12
Pomum ambræ
*in Peſte* 154
Potiones
*diureticæ* 18
*vulneraria phthiſicis utiles* 60
*melanagoga* 97
Potus
*pro phthiſicis* 60

*viſcidi*

*viſcidi, ut zythum, calculum pariunt*

Pulmo

*ulceratus vix curatur* 57

Pulveres

*antepilepticus* 186
*purgans in epilepſia* 86
*digeſtivus* 188
*arthriticus* 32

Pnrgantia

*Cydoniatum laxativum* 24
*Gialapa radix* ib.
*Ebuli grana* ib.
*Mercurius dulcis* ib.
*elect. caryocoſtinum* 30, 43
*ex cremore Tartari & ſcammonio* 23
*ſyr. de rhamno* ib.

Purgatio

*pituit. & melanch. trahens à cerebro* 188
*melanagoga* 176
*ptiſana laxativa* 175

S.

Saccharum Saturni

*utilitas* 29

Sal

*varia genera* 4
*ineſt omnibus excrementis* 4

*Tar-*

*Tartareum* 4
*concretum, ſolutum* 5
*ſero præſertim ineſt* 6
*congeſtum variorum morborum parens* 7
*alkali* 27
*tartari* ib.

Scabioſa

*efficacia in peſte* 171

Serum

*Sal corporis ſuſcipit* 6

Somnus

*phthiſicis quomodo conciliandus* 63

Stertor

*cauſa in epilepticis* 12

Sudores

*quomodo excitandi* 18, 25

Suffitus

*cerebrum ſiccans* 146
*humidus in peſte* 158
*ſiccus in peſte* 160

Sulphur

*uſus lactis in phthiſi* 53

Syrupus

*cardiacus* 151
*melancholiam præparans* 92, 96

*pro*

*pro phthiſicis* 52, 62

T.

Tabaccum.

*Vſus in phthiſi* 51

Tabellæ.

*hypoglottides in peſte.* 152

Terebinthina.

*Vtilitas* 111

*an lavanda* 122

Tophi

*articulorum indiſſolubiles* 41, 123

Trochiſci

*bezoartici* 153

*pro ſuffitu veſtium in peſte* 161

Tuſſis

*ptthiſicorum quomodo ſedanda* 63

V.

Venæ.

*caninæ ſectæ utilitas* 72

Venus.

*arthriticis nocet* 19

Vinum.

*arthriticis noxium* 190

*epilepticis* 190

*phthiſicis* 79, 56

*noxæ emendandæ ratio* 15

*polyphorum, oligophorum* 15
Vitriolum Album, *vide* Vomitoria.
Vomitoria
*uſus in Epilepſia* 181,184
*in podagra* 20,27
*in affectibus hypochondriacis* 70
*croci metallorum uſus* 20,70,76,184
*emulſio granorum cataputiæ majoris* 21
Vomitus.
*provocatus ventriculo pleno* 21
*ventriculus quomodo præparandus* 75
Urina.
*furfuraceæ cauſa.* 115

*FINIS.*

Boller — Cryphaates water — — — 0

Kirkman - English Rogue Compt — 8o - 0.

907
132